1

COMMERCII EPISTOLARIS VFFENBACHIANI
SELECTA

VARIIS OBSERVATIONIBVS
ILLVSTRAVIT



VITAMQVE
B. ZACH. CONR. AB VFFENBACH
CONTINVATAM PRAEMISIT
IO. GE. SCHELHORNIVS



PARS SECVNDA

VLMAE ET *MEMMINGAE*
APVD IOAN. FRIDER. GAVM
MDCCLIII.



VIRO MAGNIFICO
ATQVE
REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO
CHRISTOPH. MATTHAEO
PFAFFIO

SAC. CAES. PAL. COMITI, SERENISS.
WIRTEMBERG. DVCIS CONSILIARIO,
S. THEOL. DOCTORI ET PROFESSORI
PRIMARIO, VNIVERSITATIS TVBING.
CANCELLARIO, ECCLESIAE PRAEPOSITO,
ET ABBATI LAVREACENSI,

VIRO
NON MERITORVM MINVS IN REM
LITERARVM PVBLICAM GLORIA,

QVAM
GRAVISSIMORVM DIGNITATE MVNERVM
LONGE SPLENDIDISSIMO

THEOLOGORVM
SVEVIAE NOSTRAE PRINCIPI
QVEM B. VFFENBACHIVS
QVONDAM MAIOREM IN MODVM AMAVIT
ET COLVIT,

PATRONO SVO
MAXIMOPERE SVSPICIENDO,
VT SVMMVM, QVO IPSVM A LONGO
IAM TEMPORE PROSEQVITVR,
CVLTVM IN ORBIS ERVDITI CONSPECTV
TESTARETVR,

HVNC LIBELLVM,
IMO SE IPSVM CVM ARDENTISSIMO
OMNIS VERAE AC PERENNANTIS FELICITATIS
VOTO DICATVM CVPIT

CELEBRATISSIMI EIVS NOMINIS

VENERATOR PERPETVVS

IO. GEORG. SCHELHORNIVS
Paſtor et Superintendens Memmingenſis.



INDEX.

A.

B.

C.

Cata-

D.

E.

F.

G.

Gen-

H.

I.

K.

L.

M.

Mare-

N.

O.

P.

R.

S.







Series Contentorum Partis II.

Singulares Obseruationes suis locis insertae.

VITA

JO. GEORGII SCHELHORNII
DE
VITA

B. ZACH. CONRADI AB VFFENBACH

SCABINI ET SENATORIS
MOENO-FRANCOF.
COMMENTATIO.





Series Contentorum Partis II.

Singulares Obſeruationes
ſuis locis inſertae.

VITA

JO. GEORGII SCHELHORNII
DE
VITA
B. ZACH. CONRADI AB VFFENBACH
SCABINI ET SENATORIS
MOENO-FRANCOF.
COMMENTATIO.



VITA
B. ZACHAR. CONRADI AB VFFENBACH.



Acharias Conradus ab VFFENBACH, Vir in ævi nostri decus adque literas juvandas natus, ortu suo illustravit Francofurtum ad Mœnum, florentissimum Germaniæ Emporium, ubi lucem aspexit primam A. R. S. MDCLXXXIII. d. XXII.mensis Februarii. De illius nativitate juvat ipsa ejus verba ex schedis, in quibus de vita sua eleganter commentari cœpit, huc transferre, cum lectu sint nec injucunda nec indigna. En ergo tibi illa: *Vitam propriam scripturo, ab ovo, ut veteri ac trito dicitur proverbio, ordiendum omnino, ac patria ante omnia indicanda foret. Hæc vero cum duplex seu diversa, si tum conceptionem, tum i-*

psum partum spectes, a Physicis ac JCtis recte statuatur, eandem exacte definire, quod non uno eodemque in loco conceptio atque partus mihi contigerit, haud valeo. Accidit enim, ut anno MDCLXXXII. mense Junio parentes tum negotiorum, tum animi causa, quod civibus meis etiamnum ob eam, quam Mœnus ac Rhenus prabet, commoditatem, haud infrequens est, iter per utrumque Belgium, Galliam, Lotharingiam, Alsatiam, atque Palatinatum instituerint, ac mense demum Octobri domum reversi fuerint. Durante igitur hoc itinere, incerto plane in loco mater mea me concepit. Hoc vero non ideo monendum duxi, quod vanam aliquam inde gloriam captem, ac ullos de patria mea, quemadmodum de Homero ac aliis, quorum incerta patria est, perhibetur, lites oriri posse existimem. Etsi etiam illi, qui physicis studiis delectantur, feliciora pro diversitate climatis ingenia hominibus tribuunt, ac mutationem locorum, aeris, ac victus, perpetuamque tum corporis, tum vero mentis, qua peregrinantes gaudere solent, recreationem, ad meliorem corporis animique habitum ingeniique felicitatem nonnihil conferre mihi quoque, potuisse, forsan opinari queant; absit tamen, ut hinc mihi quidquam arrogem, sed, si inde aliquid emolumenti in me redundarit, gratus equidem cognosco, iis ceterum, quibus me divina bonitas donavit, animi ac corporis dotibus, qualescunque illa ipsa sint, contentus omnino. Non possum vero non, quin Deo T. O. M. debitas referam gratias, quod parentes salvos atque incolumes in patriam reduxerit,

eosque

eosque ab omnibus, quæ iter facientibus haud raro obvenire solent, periculis, una mecum in utero jam peregrinante, ac multis sane malis obnoxio, immunes præstiterit, licet e Belgio Fœderato in Regium tendentibus, ac lacum illum ob plurimos, qui in eo contigerunt per naufragia, casus fatales satis famosum, qui Belgis Moer dyck dicitur, trajicientibus, gravissimam tempestatem fuerimus experti, quæ tanta fuit, ut ipsum naufragium imminuerit. Ast majus adhuc a me, in utero adhuc latente, avertit divina misericordia periculum: duobus enim ante nativitatem mensibus, videlicet Decembri, gravida mater, scalas descendens atque vacillans, tam graviter lapsa est, inque ipsum impegit uterum, ut non modo pater ac cognati, sed ipse etiam medicus infelix puerperium metuerent, ac de fœtus salute ferme desperarent. Divina tamen, cui laus & gloria sit sempiterna! Providentia factum est, ut justo tempore, subsequente scil. anno MDCLXXXIII. vigesimo secundo mensis Februarii styl. vet. hora noctis duodecima salvum atque incolumem eniteretur mater optima, nisi quod in dextro ventris latere e regione umbilici, a vehementi in lapsu matris contusione orta, macula rubicunda, a congelato proculdubio sanguine originem trahens, quæ adulta postea ætate subfuscum colorem attraxit, ad palmæ utique magnitudinem conspecta fuerit. Hanc sane maculam non, ut alios nævos solemus, parvi feci, sed velut divinæ erga me providentiæ singularis monimentum suspexi semper, atque, quoad vixero, suspiciam.

Originem traxit ex prosapia senatoria, atque in illustrem, quæ Francofurti per aliquot sæcula floret, ac *Frauensteinia* dicitur, societatem jam olim recepta, & ab ipso Imperatore circa sæculi superioris initium insigni nobilitatis diplomate donata, cujus plura decora longo ordine enumerare possem, nisi brevitati litandum foret. Patrem coluit Jo. Balthasarem ab VFFENBACH, Senatorem de Rep. patria præclare meritum, ac ob singularem pietatem, candorem & liberalitatem in pauperes laudatissimum; Matrem vero Annam Sibyllam, ortu MAYERIAM, Matronam insigni prudentia, moribus honestis suavibusque, œconomica insuper diligentia, ac aliis, quæ fœminas decent, virtutibus conspicuam.

Optimi hi parentes omnem curam atque sollicitudinem non modo ipsimet adhibebant, ut, quod Vellejus de Tiberio, licet gentili, dixit, innutriretur filius cœlestium præceptorum disciplinis, sed, cum vix e crepundiis prosiluisset, privatis etiam ac publicis formandæ juventutis magistris eandem serio simul committebant. Pater enim illorum opinionem, qui publicas scholas plane contemnunt, minime probabat, eas cum privata institutione potius conjungendas ratus. Etenim, ut cætera silentio prætercam, vel ob rationem

hanc

hanc solam, si alia non exstaret, commendandæ sunt illæ bonarum artium officinæ, quod animi pueriles in istis honesta æmulatione excitentur, vel ad majorem diligentiam exstimulentur. Privata autem informatio eo minus negligenda, quod solers præceptor domesticus ingenio, captui atque profectibus discipuli melius sese accommodare valeat, id quod in publicis scholis in tanta discentium copia atque diversitate fieri nequit.

Non sine omine autem, ac quodam futuræ Bibliophiliæ præsagio, quam primum legere paulo expeditius didicit, tenera admodum ætate, ingenti librorum, inprimis historicorum, amore incaluit. Fovit eundem Parens optimus, ac magis magisque incendit, non Historias modo biblicas æri incisas, adjecta brevi enarratione elucidatas, quales Norimbergenses sub titulo *Bilder-Bibel* satis elegantes dederunt, sed nitidum etiam GOTTFRIEDI de quatuor, ut inscripsit, Monarchiis opus, pulcerrimis a Meriano iconibus illustratum, ipsi comparans. Dici non potest, quantopere tales libri oculos ac animos puerorum alliciant atque delectent, quod experientia edoctus in schedis suis asserit Noster, brevi tempore bene multas tam in sacra, quam profana historia narrationes tabularum istarum adminiculo

se memoriæ ita impressisse testatus, ut non sine audientium admiratione recitare easdem promte valuerit.

In istis quoque pueritiæ annis Musica haud parum delectabatur, fidibus canere discens. Capiebatur præterea Mechanicis artibus, ita, ut non libris tantum consuendis ac leviter compingendis operam dederit, sed in officinis etiam, quavis data occasione, manuarias opificum operas singulari cum attentione ac summa voluptate aspexerit, acuere hoc ipsum non modo ingenium juvenile, verum suo quoque tempore utilitatem in œconomicis haud levem præstare expertus.

Cum annum nondum duodecimum complevisset excitatæ indolis adolescentulus, accidit, ut unus ex patruelibus e Lyceo patrio in Gymnasium Rudolphopolitanum transferretur. Enixissimis igitur precibus Patrem quotidie fatigavit, ut idem consilium sequeretur, arduum sane, si commoda pariter atque incommoda pensites, quæ, ut suorum educationem aliis committant, vel suadere vel dissuadere parentibus queant. Inter illa hæc potissimum sunt, quod cum blanda patrum ac matrum inprimis indulgentia segnes plerumque faciat liberos, si aliis commendetur educatio, hoc ipsum haud facile metuendum

sit.

fit. Hi enim vitia infantum, quæ cœcus parentum amor vel plane non animadvertit, vel connivendo fovet, non facilius tantum cognoſcunt, ſed ſeverius etiam corrigunt, ac felicius emendant. Ut taceam, pueros peregre miſſos multis carere deliciis, quibus alii in ædibus paternis ac in matrum ſinu plerumque mollescunt, cum illi vitæ magis maſculæ citius aſſueſiant. Altera vero ex parte metuendum parentibus, qui liberos ſuos aliorum educationi permittunt, ne vel nimia eorum ſeveritate deprimantur, vel ſupina incuria negligantur. Haud raro etiam accidit, ut teneri puerorum animi peregrinarum corruptelarum illecebris irretiantur ac corrumpantur. Neque reticendum, liberos illos, qui extra familiam educantur, omni plane rerum œconomicarum notitia privari, cum ad illas difficulter admittantur ab hoſpitibus, ipſi vero de iis, velut ad ſe haud pertinentibus, vix ac ne vix quidem cogitent.

Hæc aliaque licet moleſtam redderent conſilii capiendi deliberationem, multaque in mentem venirent in utramque partem, ac amor præcipue maternus obniteretur, vicerunt tamen enixæ fervidi juvenis preces. Miſſus eſt igitur cum patruele in Atheneum Rudolſtadienſe, in quod A. MDCXCIV. ipſis Kal. Oct. divina aſpiran-

te gratia, pervenit salvus atque incolumis. Eo majores propitio Numini persolvendæ fuerunt grates, quod illum a maximo periculo in hoc itinere liberaverit. Cum enim Isenaco Gotham tenderent, e rheda, quod ab aliis comitibus aliquoties factum viderat, inter vehendum desilire volens, pede a pallio circumjacente impedito, saltuque fallenti, tam prope ad orbitam cadebat, ut, nisi pedes illico retraxisset, rota procurrens utrosque diffregisset.

Domicilium nanciscebatur apud Gymnasii Conrectorem, Clar. M. Jo. Ernestum MULLERUM, Kelbra-Thuringum, virum in linguis præcipuis orientalibus, quas etiam Lipsiæ velut Magister, ut ajunt, legens non sine laude antea docuerat, versatissimum. Alebat is domi suæ plures juvenes, qui a vicinis Nobilibus, aliisque honestioribus ipsius educationi ac institutioni credebantur. Plerique ex convictoribus provectiore ætate, ac nonnulli etiam majorennes erant. Fieri aliter non potuit, quam ut in tali petulantium ac lascivientium adolescentum cœtu non nugæ modo infinitæ fuerint actæ, sed flagitia etiam interdum perpetrata, quibus tenera ac ad vitia flexilis mens corrumpi potuisset, nisi gratia divina & animi probitas strenue obstitisset.

Ab-

Abducebat vero a pravo isthoc consortio potissimum, etiam innata illa discendi cupiditas, & ad studia naturalis propensio. Exserebat se illa in tenera jam ætate, eoque magis incendebatur, quod, licet exigui fuerint profectus, quibus ad hoc Gymnasium instructus pervenerat, Conrectori tamen eam in Classem, in qua ipse docebat, illum recipere visum fuerit. Sperabat nimirum Præceptor optimus, se fideliter manuducente, eo feliciores illum progressus facturum, quod ingenium promtum & discendi cupidissimum in eo animadverteret. Nec bona illum spes fefellit. Cum enim condiscipulos videret Noster, non ætate duntaxat, sed profectibus quoque in studiis longe superiores, tantum hoc ipsum discendi ardorem in eo excitavit, ut non modo incredibiles brevi tempore profectus fecerit, verum nimius etiam ille fervor retundendus atque reprimendus fuerit. Haud sufficiebat, ordinariis laboribus scholasticis, ut probum discipulum decet, rite ac summa cum cura defungi, exercitia, quæ nuncupant, domestica componere, ac, quæ ediscenda erant, memoriæ mandare: sed tempus illud, quod alii recreationi ac lusui dabant, bonorum auctorum lectioni tribuere, ac dimidiam quoque noctem eidem dicare solebat. Vix auctor priscus Latinus est, quem non tractarit, si modo ejus ipsi a

Præ-

Præceptore copia fuerit facta. Præ aliis tamen Justinum, Livium, Julium Cæsarem, Curtium, Terentium, Plautum, ac inter Poetas Virgilium, Horatium atque Ovidium cupidius atque ita legebat, ut omnes ex iisdem sententias non in locos tantum, ut ajunt, communes redigeret, sed plures etiam in certos titulos diligentissime excerperet. His spissa admodum quatuor volumina replevit, quæ semper asservavit, non velut maximum, quod tunc temporis reputabat, eruditionis thesaurum, sed in aliquod puerilis industriæ monumentum. E recentioribus Erasmi Colloquia deperibat.

Probabat, atque commilitonibus ejus in exemplum proponebat singularem hanc diligentiam sedulitatemque Præceptor. Quum vero eam non sine ratione sanitati noxiam existimaret, ac lucubrationes nimias teneræ inprimis ætati detrimentum allaturas crederet; iisdem non solum interdicebat, sed ipsi etiam haud parenti candelarum copiam denegabat. Hac assiduitate, brevi ac vix annuo spatio, tantum profecit Noster, ut reliquis discipulis non modo æquipolluerit, verum plurimis eorum palmam præripuerit.

Dolebat vero postea, tunc temporis in hoc Lyceo præter linguam Latinam, Græcam

tam & Hebraicam nonnisi Logicam ac Metaphysicam scholasticam fuisse tractatam, spretis utilioribus & ætati juvenili magis convenientibus disciplinis, Historia scilicet, Chronologia, Genealogia atque Geographia. Hæ enim eo diligentius, juventuti scholasticæ inculcandæ videntur, quo magis memoria, ad illas addiscendas imprimis necessaria, in ea ætate viget.

Deinde cum hæ scientiæ insignem tam in aliis studiis altioribus, quam in omni vita usum præbeant, ineptiæ illæ syllogisticæ ac scholasticæ philosophiæ nugæ exiguam plane utilitatem habent. Defectum hunc privato studio diligentique lectione Bunonianæ Ideæ historicæ, Compendii Geographiæ Cluverianæ, ac SLEIDANI de quatuor summis Imperiis libelli elegantissimi resarcire conabatur. Præ aliis autem in deliciis ipsi erat MORHOFII Polyhistor literarius, quem toties legit atque relegit, ut non auctores duntaxat ab ipso laudatos atque recensitos in numerato haberet, sed integra etiam ex isthoc capita memoriter recitare valeret.

Emicuit jam eo tempore ac in tenera ista ætate singularis illa in bonos libros propensio, quæ in tantum crescentibus annis excrevit amorem, ut satiari nunquam potuerit. Laudatum MORHOFII opus eo

charius ipsi semper extitit, quod primos in re literaria ac libraria in eodem progressus fecerit, ac tantam ex ejus lectione ceperit voluptatem, ut aliæ isti ætati convenientes atque solitæ oblectationes præ illa tædio essent.

Hac vero non solus fruebatur, sed cum amicis eam intimioribus communicabat, utpote cum quibus de iis, quæ legerat, literaria ac, pro puerili isthac ætate, erudita colloquia miscebat. Erant isti Jo. Henricus ACKERUS, & Andr. Nicolaus SULZNERUS, quorum ille postea in hoc Rudolphopolitano ac deinde Altenburgensi Gymnasio Rector, hic autem Principum Schwarzburgicorum Consiliarius (a) fuit. Inter hos egregios juvenes erat honesta in studiis æmulatio, ac varia inprimis quoad stylum exercitatio. Non epistolare modo inter eos commercium intercedebat, sed, dum alii commilitones tempus ludendo ac lasciviendo perderent, istud illi inter deambulationes vel in Sulzneri vineas, vel lucum prope arcem, vel in prata juxta Salam fluvium variis iisque literariis colloquiis pro captu suo jucundissime transigebant. Circa finem A. MDCXCVI. suadente Conrecto-

re,

(a) vid. Cel. Jac. BURCKHARDI de sua ipsius vita Commentar. pag. 160.

re animum induxit, panegyricam orationem in patriæ laudem contexere, illaque de instante novo anno Patriæ Patribus conscriptis, aliisque Patronis gratulari. Optime rem hanc successisse, exinde apparebat, quod Præceptor vix tria verba non tam correxerit, quam cum aliis, quæ ipsi aptiora videbantur, commutaverit, ac juvenilem hunc fœtum dignum judicaverit, qui in lucem ederetur. Orationem illam satis longam ex memoria in perillustri panegyri sine ulla hæsitatione, animo vultuque intrepido, cum auditorum applausu feliciter recitavit.

Serenissimus Princeps ANTONIUS unacum filio FRIDERICO ANTONIO, ejus postmodum successore, non sua tantum præsentia actum istum illustraverat, sed Ministris etiam stipatus advenerat, interque hos Cancellario, Viro tam eruditione quam pietate illustri, Ahasvero FRITSCHIO. Tanta erga Nostrum, quamvis adolescentulum, summi hujusce Viri fuit humanitas, ut, quotiescunque (fiebat autem persæpe) a Conrectore ad optimum hunc Senem, ut aliquid ejus nomine vel denunciaret, vel deferret, mittebatur, paterno illum quasi affectu exceperit, exploratisque in studiis profectibus ad ulteriorem diligentiam incenderit, ac finito etiam actu illo oratorio in transi-

tu

tu de rite expleto oratoris munere verbis ei Latinis fuerit gratulatus.

Inter hosce auspicatos studiorum successus valetudo ejus ex infelici lapsu graviter afflicta fuit. Anno enim MDCXCVII. mense Februario, dum mane in scholam properaret, deque monte, in quo non Arx tantum Principis, sed in radice etiam illius Conrectoris ædes erant sitæ, descenderet, via autem ob nivem per pluviam haud satis liquefactam, ac noctu denuo congelatam, admodum esset lubrica, pede fallente tam graviter lapsus est, ut omenti ruptura in sinistro inguinis latere fuerit facta. Qua molestia licet ope Chirurgi iterum fuerit liberatus, malum tamen anno vertente recruduit; sed divino beneficio denuo depulsum fuit.

Interim amantissimi Parentes, de adversa ejus valetudine edocti atque solliciti, satius ducebant, eum domum revocare. Rediit ergo, superato gravi, Deo juvante, ad Fuldam amnem, qui copiosissimis imbribus intumuerat, periculo, ad Lares patrios anno MDCXCVIII. ultimo mensis Maji die, a Parentibus optimis ac reliqua familia post quadriennem absentiam maximo cum gaudio receptus. Velut novum in orbem delatus sibi videbatur, mirabaturque omnium fere rerum statum interea muta-

mutatum. Auguſtiora ipſi apparebant cuncta, quod in loco obſcuriori, ac re familiari tenui, vel parum lauta, hactenus vixerit. Acceſſit, quod Parens interim ad ſenatoriam dignitatem fuerit evectus, atque hac etiam ratione familiæ ſtatum nonnihil mutatum animadverterit. Prima vero dulciſſimorum Parentum cura de ejus ſanitate obfirmanda erat.

Ne autem, durante hac curatione, otioſus eſſet, conſultum duxit optimus Pater, ut lectiones hiſtoricas & geographicas Rectoris Gymnaſii, Viri Clar. Jo. Gerhardi ARNOLDI una cum nonnullis vitæ academicæ Candidatis frequentaret. Eo lubentius hoc faciebat, quod iſthæc ſtudia in Lyceo Rudolphopolitano male neglecta agnoſceret. Initio menſis Julii cum Parente Swalbacum proficiſcebatur, quod acidularum ibi ſcaturientium uſus utrique a Medico fuerit præſcriptus.

Accidit tunc, ut in eadem domo cum Viro Illuſtri, Jobo LUDOLFO, qui Patri erat amiciſſimus, commorarentur. Rogabatur is a Parente, ut eum tentaret, ac in ſtudiorum profectus penitius inquireret. Bonus itaque hic Senex, quandocunque illum offendebat, vel a longinquo conſpicabatur, haud Latina duntaxat lingua ipſum adoriebatur, ac non niſi Lati-

nos sermones serebat, sed variis etiam quæstionibus philologicis ac historicis eum exercebat.

Domum valetudine corroborata reversum meditabatur Parens in Gymnasium, quod tum satis florebat, Idsteinianum ablegare. Is vero, ut juvenes solent, vitam academicam anhelans, enixis illud precibus deprecabatur, quibus tandem, ac LUDOLFI aliorumque, ejus profectus collaudantium, suasionibus cedens Pater annuebat, ut ad vitam academicam se præpararet. Placuit Argentoratensis Academia, vel eo nomine, quod linguæ Gallicæ facilius addiscendæ commoda ibi occasio esset. Cumque annum decimum quintum vix exegisset, piaculum ducebant providi Parentes, eum sine morum ac studiorum moderatore ad Academiam dimittere. Dabatur ergo illi Ephorus, Jo. Philippus Pistor, Juris Candidatus, quo comitatus proficiscebatur per viam montanam & Palatinatum, terras quidem amœnissimas ac fertilitate sua felices, eo autem tempore horrendis plane Gallorum incendiis ac furoribus ita depopulatas atque devastatas, ut ubivis, Heidelbergæ inprimis ac Spiræ, quæ Germaniæ civitates fuerant florentissimæ, ruinas vix sine lacrymis aspicere potuerit: ac Deo duce A. MDCXCVIII. d.

XIV. mensis Augusti Argentoratum perveniebat sospes atque vegetus.


Ordinato ac probe disposito museo, prima cura erat, ut in Civium academicorum numerum rite reciperetur: quod factum est a Rectore tum temporis Magnifico, Jo. BOECLERO, artis salutaris Professore, magni illius Historici, Politici ac Philologi, Jo. Henrici BOECLERI filio. Erant eo tempore in Theologorum Ordine Isaacus FAUSTIUS, Jo. Joachim. ZENTGRAVIUS, plurimis, nec contemnendis scriptis, tam philosophicis quam theologicis clarus, & Bern. WAGNERUS. Inter JCtos excellebant Jo. SCHILTERUS, vir in Jurisprudentia veterum inprimis Germanorum asserenda, & Antiquitatibus Germanicis illustrandis princeps, MARBACHIUS & FELZIUS. Ex Ordine Medicorum florebant BOECLERUS, SCHEIDIUS ac SALZMANNUS. Mathesin docebat, ac egregiis etiam scriptis illustrabat Julius REICHELT, Eloquentiam Jo. Christophorus ARTOPOEUS, Historiam Jo. Cunr. KUHNIUS, Orator facundissimus. Frequentia studiosorum non adeo magna, quod majores hic, quam alibi, sumtus requirantur. Maximum Civium academicorum numerum constituebant Nobiles ac alii in Galliam tendentes. Hi enim aliquamdiu subsistere hic solent, ut Galli-

cam linguam addiſcant, ac moribus etiam Gallicis aſſuefiant. Nec defuit iis, qui in diſciplina equeſtri, arte palæſtrica, ſaltationibus, aliisque corporis ac ingenii exercitiis, mathematicis etiam ac cæteris Nobiles decentibus artibus inſtitui cupiunt, egregia occaſio. Erat enim Vir quidam honeſtus, nomine Macko, qui Academiam, ut vocant, equeſtrem Gallico more aperuerat. Animus Noſtro erat, eandem ingredi: aſt Ephorus prudenter renuebat, quod tenuem atque imbecillem corporis conſtitutionem talia exercitia haud admittere probe animadvertebat, nec proficua illi fore putabat. Id quod poſtea ipſe bene agnovit, cum experientia doceret, pleroſque, qui ſcholas palæſtricas frequentant, ad rixas fieri proniores, ac malo aliorum conſortio corrumpi. Equeſtrem equidem diſciplinam uſum habere majorem exiſtimavit, ac ſalutarem ſtudioſis motionem præbere: id vero ſimul incommodi ſecum ferre, quod non modo horæ matutinæ, ſtudiis commodiſſimæ, eam exercentibus pereant, ſed quod tales equites in Collegiis, quæ vocant, ita viderit defatigatos, ut a ſomno vix abſtinere potuerint.

Inter primarias cauſas, cur ad hanc Academiam eum ablegaret Pater amantiſſimus, erat, ut linguam Gallicam eo melius

lius addisceret. Statim igitur post adventum Ephorus de idoneo hujus linguæ Magistro ipsi prospexit, ac præterea tale hospitium elegit, in quo nonnisi cum Gallis commercium illi esset. Idem vero simul de ipso ad studia etiam solidiora manuducendo sollicitus, non eum duntaxat in geographicis ac historicis per aliquot horas singulis diebus ipse instituit, sed & ei de Collegio quodam, ut nuncupant, privato, seu lectionibus ad styli literarii exercitium spectantibus providit. Egit igitur cum Professoris Artopœi filio, ut Plinii Epistolas ei hunc in finem explicaret. Plus autem ipse profecit bonorum auctorum lectione usuque, ac variis styli exercitationibus, suopte Marte institutis.

Nec studium historiæ literariæ, ac rei librariæ, quod semper ei in deliciis fuit, neglexit, sed scripta huc facientia summa cum industria ac voluptate perlustravit, ac Bibliothecas tam publicas, quam privatas, officinas item librarias sedulo frequentavit. Inter has Sporianam reliquis prætulit, ob singularem optimi Senis Sporii humanitatem, quam non solum in novis pariter ac rarioribus libris, verum in curiosis etiam tum naturalibus, tum artificialibus, quæ in Museo satis instructo, magnoque studio, nec exiguis sumtibus adornato, asservabat, demonstrandis comprobavit.



Taberna Sporii libraria erat in Cœnobio, quod olim Dominicanæ Sodalitatis Monachorum fuit. Commoratus in hoc aliquandiu, dum viveret, quondam Albertus Magnus. Monſtravit ei humaniſſimus Senex cellulam, quam ille inhabitaſſe, inque ea machinam illam artificioſam, quam ſe movere ac loqui etiam potuiſſe ferunt, compoſuiſſe dicitur. Oſtendit etiam locum, ubi hanc eum ipſam poſuiſſe credebat, indicavitque foramina nonnulla, per quæ Albertus Magnus fila ferrea, quibus machinam in inferiori ædificii contignatione motam, ac tubum, per quem vocem fuiſſe editam credebat, demiſiſſe ſagax Senex ſuſpicabatur. Hanc enim machinam ab Alberto ita conſtructam fuiſſe, ut proprio motu ſe movere ac loqui potuerit, nemo ſibi perſuaderi ſinit, niſi qui inſipidis illis de magicis ejus artibus, quarum pro iſtorum temporum more inepte inſimulabatur, narratiunculis fidem haberi velit. Quibus forſan etiam accenſenda venit lepida, ut videtur, fabella, quod Thomas Aquinas illam ipſam machinam, pro ſpectro habitam, præ terrore baculo confregerit. Niſi enim ex argilla, vel alia fragili materia confecta fuiſſet, frangere eandem baculo Thomas haud potuiſſet. Hoc ipſum autem ideo veriſimile non eſt, quod movere ſe potuiſſe perhibeatur; atque ita vel ex ligno, vel laminis fabrefactam fuiſſe credendum eſt.

Præ-

Præter Bibliothecas ac Officinas librarias jucunde etiam Disputationes, aliosque actus solennes frequentare consuevit, maximopere oblectari solitus, si in illis acriter & mascule dimicaretur. Interdum quoque Jesuitarum disputationibus interfuit; ast offendebatur non modo tumultuaria eorum in disputando methodo, ac cavillationibus scholasticis, sed quod argumenta, de quibus inter eos disceptatur, plerumque e Metaphysica, vel Theologia & Philosophia scholastica sint desumta.

Circa finem anni KUHNIUS, Historiarum Professor, lectiones in Tabulas chronologicas SCHRADERI studiosis proposuit, quas ut Noster frequentaret, Ephoro consultum videbatur. Haud parum ex iis profecit, id unicum dolens, quod majorem diligentiam non adhiberet Professor, Orator quidem eximius, quod plurimi in Regis Galliarum honorem habiti, typisque exscripti Panegyrici satis evincunt, ac Vir eruditissimus, ast majorem fere cuticulæ, quam studiorum, curam gerens, moribusque minus politis præditus.

Incedebat tunc etiam animum cupiditas audiendi lectiones juridicas, quam velut intempestivam restinxit Ephorus. Interim prælectionibus, quas ipse apud Viros consultissimos SCHILTERUM ac FELZIUM

frequentabat, hospitis instar, uti ajunt, nonnunquam interfuit Noster. Quum prima vice SCHILTERI, Viri summi, Museum intraret, obstupefactum se sensit. Vix enim Doctorem vel Professorem ob languidam debilemque vocem audire, nec etiam cernere poterat: ita lectis erat undiquaque in sella acclinatoria, qua non tam sedebat, quam recumbebat, constipatus ac fere sepultus. Interdum etiam in ipso lecto docebat, cum esset perpetuo valetudinarius, ac morbo articulari fractus. Nihilo tamen minus in docendo tam erat assiduus, ut Collegas propemodum omnes diligentia vicerit.

Durante hyeme, A. MDCXCIX. pluribus Anatomiis, quas Vir Clar. D. Jo. Valentinus SCHEIDT, Medicinæ ac Anatomiæ Professor, peregit, interfuit. Habentur illæ in Sacello quodam prope Nosocomium, ex quo tot prudenti Amplissimi Senatus decreto cadavera in illo morientium suppeditantur, quot ad exercitia anatomica per integram hyemem requiruntur. Optandum, ut alii Magistratus in Civitatibus nobilioribus, licet Academiis destitutis, laudabile hoc exemplum sequantur. Hac enim ratione crassa chirurgorum & obstetricum ignorantia propulsari, ac salus ægrotantium & parturientium haud parum promoveri posset. Tantopere autem

tem hoc sese institutum tum Nostro probavit, ut A. MDCCXVIII. ejus consilio Celsissimus Comes de SCHOENBORN, Cæsareus ad componendas inter Amplissimum Magistratum ac Cives Francofurtanos lites, civitatisque administrationem ac œconomiam ordinandam Legatus, fuerit permotus, ut Theatrum anatomicum exstrui, ac hyemali tempore sectiones fieri, & cadavera necessaria ex Nosocomio sine difficultate subministrari jusserit. Illo jam tempore eximiæ indolis juvenis probe censuit, quod corporis structuram nosse, licet medicis studiis haud addicto, apprime conducat, non ad sanitatem modo melius tuendam ac conservandam, sed ad Medicum etiam in adversa valetudine de morborum, qui nobis obveniunt, genere ac statu certiorem reddendum. Quapropter maxima cum diligentia, nec sine voluptate his exercitiis anatomicis interfuit. Mirabatur non tantum venerandi Senis D. SCHEIDII in præparandis ac demonstrandis singulis corporis humani partibus dexteritatem, sed & facundiam; singulari cum delectatione sæpe recordatus exordii illius, quo Cordis humani demonstrationem ultimam aggrediebatur. Cum enim eam ob subitam aeris regelascentis mutationem die dominica post sacra peracta suscipere cogeretur, hac demonstratione sua nullam Sabbati profanationem se commissurum

evincebat, quod eam urgente necessitate instituerit, ac insuper omnium præstantissimum e corporis humani membris sit demonstraturus, ex quo summi Creatoris, qui ipse Cordium Scrutator dici velit, admiranda sapientia præ aliis pateat. Hac igitur demonstratione rite peracta, tam sanctas cogitationes, mentisque agitationes apud auditores spectatoresque se excitaturum confidere, quæ diem, licet sacrum, optime deceant, ac omnium animos sancta Creatoris Opt. Max. veneratione sint repleturæ.

Ejusdem anni æstate inter alia duo ad animi recreationem exercitia instituere cœpit, ut fistula nimirum canere, ac graphicam, seu delineandi artem addisceret. In Musica Jo. Braunium, in arte pictoria autem Seupelium, magistros elegerat, utrumque in arte sua Roscium. Vix autem per tres menses graphices studio se oblectaverat, cum ob oculorum morbum illud deserere cogeretur. Pari cum ægritudine nobile hoc exercitium abjecisse se meminit, ac de PEIRESCIO in vita ejus a GASSENDO elegantissime descripta p. 564. editionis minoris Hagiensis legerat: qui frequenter testatus est, pœnitere se maxime, quod a teneris usque annis pingendi artem non didicisset, optareque, si fieri posset, digitis duobus sinistræ manus redemtam peri-

peritiam, qua dextra careret. Speraverat enim Noster, honestam hanc exercitationem sibi & summam delectationem, & maximam in omni vita utilitatem, in itineribus præsertim suo tempore suscipiendis, omnino allaturam. Supplevit vero hunc defectum Generosissimus Frater, qui sua in his dexteritate insignem ipsi in itineribus operam præstitit.

Die 13. mensis Sept. horrenda illa ac plane memorabilis Eclipsis Solis, cujus exactam Jo. Phil. WURZELBAUERI, Astronomi Norib. celeberrimi, descriptionem Actis Eruditorum ejusdem anni p. 544. seqq. inseruerunt doctissimi Collectores, accidebat. Hanc maxima cum admiratione, nec sine voluptate, & quidem accuratissime observare licuit. Variis enim illam modis D. SEBIZIUS juvenibus studiosis, quos inter & Noster erat, demonstravit, tum in horto domui adjacente, tum in Camera, quam adaptaverat, ac variis instrumentis instruxerat. Contemplabantur itaque initium, progressum ac finem ejus, tam per vitra, fuligine in una parte oblita, quam per varios tubos, potissimum vero omni cum industria in Camera obscura, ubi ad Horologii oscillatorii Anglicani momenta initium, incrementum ac decrementum hujus Eclipseos, in chartæ plagula, quæ umbram per Tubum opticum ex-

exceptam circino dimetiebatur, observabant.

His aliisque egregiis exercitationibus jucunde occupatus, triste e patria nuncium accepit de gravi Matris dilectissimæ ægritudine, quæ, cum hecticis affectibus jam aliquoties laborasset, adeo ingravescebat, ut viribus exhausta decumbere cogeretur. Evanescente igitur restitutionis spe, summo filium ante obitum videndi desiderio tandem ducebatur, cui, licet invitus vale Musis Argentoratensibus diceret, parendum fuit. Rediit itaque in patriam sub initium mensis Martii A. MDCC. & dulcissimam Matrem in lecto emortuali per febrem hecticam adeo invenit emaciatam, ut eam vix amplius agnosceret. Augebat dolorem, quod omnem recuperandæ pristinæ sanitatis spem plane collapsam videret, ac indies mors ejus metuenda esset. Ipsa vero pientissima Matrona eandem non modo placide expectabat, sed forti devotaque mente creberrime exoptabat. Ast eheu! antequam pii voti sui compos redderetur, paucos intra dies, & triduo ante beatam suam dialysin marito amantissimo semet privatam, liberos autem non tantum Patre charissimo orbatos, sed brevi etiam per imminentem mortem suam plane orphanos prævidere cogebatur.

Acci-

Accidit enim inopinato prorsus, ut Pater Optimus, qui firma alias ac prospera, si transeuntes calculi dolores, quibus sæpenumero laborabat, excipias, utebatur sanitate, in febrem ardentem malignam incideret, ex mœrore procul dubio, quem ex diuturna Conjugis suavissimæ contabescentis ægritudine contraxit. Tanta vero morbi vis erat, ut tertio statim die, scilicet Jovis, qui Viridium vulgo dicitur, inopinatam ac tristem mortem anno ætatis LIX. inferret. Pia autem Mater triduo vix exacto desideratissimum maritum secuta, in ipso Paschatis die circa meridiem animam Deo placidissime reddidit, cum annum ætatis XLIV. nondum explevisset. Pietatem utriusque beatissimi parentis inter cætera testabantur Legata, ærario pauperum, orphanotrophio ac Nosodochio, nec non oraculorum divinorum Interpretibus facta, quæ ad aliquot florenorum millia ascenderunt. Patrem, cum ex singulari, qua omnibus innotuit, modestia vivus nunquam pingi voluerit, mortuum, ac loculo, seu cista ferali jam conditum depingi curavit Filius. Quæ imago, scita ac felici pictoris manu consimilis admodum effícta, omni tempore gratam illi meritissimi Parentis præbuit memoriam.

Quum ab acerbissimo hoc luctu paulatim sese

sese collegisset, studia sua strenue prosecuturus, mense Augusto ejusdem anni MDCC. in Academiam Halensem ob magnam STRYCKII, THOMASII, LVDOVICIORUM, BUDDEI, aliorumque ibi summo cum applausu docentium, famam se contulit. Dignitate Prorectoris tum fulgebat Vir celeb. Georgius Ernestus STAHLIUS, Medicus excellentissimus, a quo nomen ejus in Academicorum Civium Album inscriptum est. Cum illius ædes ingrederetur, ancilla Herum, in Chymico laboratorio operantem, se advocaturam ajebat. Hoc nisi dixisset, advenientem mox Prorectorem Magnificum minime agnovisset. Carbonario enim videbatur simillimus, indutus quippe toga linea nigra, nec manibus tantum, sed ipsa etiam facie a pulvere carbonario tam squalidus, ut risum cohibere vix potuerit.

Commodum accidit, ut explicare tum Jo. Samuel STRYCKIUS, Filius, Institutiones juris Justinianeas studiosis quibusdam inciperet; has itaque ejus prælectiones quidem audire, potissimam vero philosophicis studiis navare operam constituit, usurus in his præceptore præclari nominis Viro, Jo. Francisco BUDDEO, Moralium Professore, qui circulum lectionum suarum philosophicarum denuo ordiebatur. Ipsa

b. VFFENBACHII de hisce prælectionibus, ac BUDDEI, Viri summi, in se meritis verba huc transferre visum est. Ita vero ille (b):

BUDDEUM per omnes philosophiæ partes, non modo summa cum diligentia & attentione, sed maxima etiam cum voluptate audivi, adeo, ut per tres annos, quibus ejus auditorem egi, ne unicam quidem horam, quibus docebat, neglexerim. Tanto autem Viro me Præceptore usum esse, non modo gaudeo, sed illum ipsum ea, qua par est, veneratione etiam post cineres prosequor. Huic enim Viro optimo ac Præceptori fidelissimo me plus debere, quam cuiquam mortalium, ingenue profiteor. Is enim manuductione sua fidissima prima non modo veræ sapientiæ ac Philosophiæ, sed omnis etiam solidioris eruditionis semina instillavit, animumque ad liberalia quævis studia mirum in modum incendit. Probabat enim se mihi eclectica, eaque vera philosophandi ratio, ac plana atque perspicua in docendo methodus.

Neque enim tetricorum ac morosorum illorum Doctorum rationem sequebatur, qui disciplinarum ac scientiarum principia crude ac sine omni elegantioris eruditionis condimento proponunt, neque vanam ac ridiculam aliorum ostentationem probabat, qui

(b) Literis hæc consignavit b. VFFENBACHIUS, annum ætatis jam agens quinquagesimum, A. MDCCXXXIII.

qui multis ineptisque digressionibus auditores fatigant, neque etiam eorum, gravitatem Doctoris minus decentem, morem imitabatur, qui facetiis ac nugis etiam, quod Thomasio, Gundlingio aliisque a multis vitio versum fuit, auditores allicere atque demulcere student. Evitabat hos scopulos Buddeus, sua tamen, spinosiora etiam dogmata, ita proponebat, ut summa cum voluptate ab omnibus audiretur. Præprimis autem me, literariarum harum delitiarum cupidissimum, capiebat, quod historiæ literariæ ac librariæ quavis data occasione rationem haberet, ac bonorum auctorum librorumque notitiam præberet, & solidum de scriptis, quæ de re qualibet extant, optimis judicium ferret. Cum haud infima eruditionis pars in bonorum auctorum ac librorum notitia consistat, multum sane interest, ut adolescentes ad eam in tempore acquirendam manu ducantur. Insignis plane superioribus seculis hic neglectus fuit, ubi ipsa historia literaria parum exculta, ac Professores seu Doctores etiam pro callido plane artificio habebant, ut ea scripta, quibus usi, & unde sua haurirent, discipulos celarent, hoc ad augendam eruditionis suæ existimationem auctoritatemque apprime facere existimantes. Inepta vero talis invidia nullo modo excusari potest. Quemadmodum enim opifex maxime foret culpandus, qui tyroni necessaria ad artem addiscendam instrumenta occultaret, cum quavis etiam, ad eandem exercendam commoda, bona fide commonstrare, horumque usum edocere in conscientia obligetur: ita etiam Doctores ac Præceptores graviter peccant, nisi discipulis auditoribusque fon-

tes,

tes, e quibus ipsi hauserunt; feliciter indicent, ac optimorum quorumvis auctorum notitiam praebeant, e quorum scriptis ea, quae didicerunt, plenius ediscere, majoremque de re qualibet notitiam solidioremque eruditionem adipisci valeant. Quamvis enim multorum auctorum usus adolescentibus haud conducat, ac vaga plurimorumque librorum lectio noxia magis, quam utilis esse soleat, necessaria tamen est, at in tempore acquirenda bonorum Scriptorum notitia. Quemadmodum enim, ut in simili de mechanicis ac artificibus supra dicto pergam, tyro ad prima in arte sua rudimenta addiscenda paucis admodum instrumentis opus habet, si vero ad operas majores magisque arduas temporis progressu adhibetur, plurium etiam instrumentorum usus requiritur: ita etiam eruditi ad studia prosequenda, augendamque eruditionem majori librorum copia indigent. Cum vero in tanto horum, quo Orbis eruditus laborat, numero delectu utique opus sit; ac exactam eorundem notitiam acquirere tam facile non sit, laudanda utique illorum Doctorum ac Praeceptorum est diligentia atque dexteritas, qui discipulos auditoresque suos ad tam necessariam utilemque cognitionem manuducunt. Grata sane mente etiamnum agnosco egregium Praeceptoris optimi BUDDEI hac in re studium.

Prae aliis autem disciplinis philosophicis sese illi probabat ea, quae de moribus agit, ac moralis vulgo dicitur. Privata diligentia legit Christiani THOMASII Ethi-

cam, quæ tantopere placebat, ut ejus lectionem pluries, quam tritum proverbium de libris præstantioribus suadet, repetierit, quamvis non deessent, quæ in illo displicerent.

Circa anni MDCCI. exordium, die nimirum XVIII. Jan. Festum Coronationis FRIDERICI I. Borussiæ Regis solenniter Halæ celebrabatur. Lætus ille ac auspicatus dies fuit VFFENBACHIO valde infaustus. Cum enim noctu omnium fere ædium fenestræ ardentibus luminibus, ac variis in Regis honorem emblematibus & inscriptionibus essent exornatæ, illeque cum innumeris aliis spectatoribus per plateas circumeundo eas perlustraret, nec sine jucunditate varias inhabitantium tam ingeniosas, quam ineptas & ridiculas plane inventiones animadverteret, per plateam quandam angustiorem, glacie ac nive oppletam, oculis in altum ad lustranda emblemata elatis, transiens, tam graviter in terram supinus concidit, ut non modo ensis, quo cingebatur, ejusque capulus in plurima frusta frangeretur, nummique, ac quæcunque in marsupiis erant, excuterentur, sed omnes etiam horologii portatilis rotæ cum elatere hoc ipso casu gravissimo rumperentur. Ipse vero aliquandiu quasi exanimis, rigidus ac ita quassatus jacebat, ut amici comites vix reficere,

ac

ac erigere, domumque deducere eum potuerint.

Licet etiam varia adhibuerit medicamina, ac lecto se continuerit, per aliquot tamen dies omnibus artubus contremiscebat, doloresque haud leves per cuncta membra sentiebat. Cum insuper altero statim die vertiginem ac singularem mentis stuporem pateretur, nonnullam in capite læsionem metuebat. Mox vero cessantibus divina gratia gravioribus hisce symptomatibus, reliqua etiam incommoda pedetentim evanescebant. Casus hic gravissimus eum admonuit, ut Æsopici illius Astrologi, cœlum ac astra contemplantis, inque foveam cadentis, imprudentiam in posterum vitaret.

Mense Aprili ad nundinas Lipsienses visendas profectus, mirabatur præsertim peregrinorum bibliopolarum confluxum; tantumque esse illum deprehendit, ut quoad librorum negotium Lipsienses nundinas Francofurtensibus hodie præripere palmam animadverterit. Eo majori voluptate tabernas ibi librarias perlustravit, quod non nisi tres tunc Halæ essent, iis haud comparandæ, Rengeriana, Zeitleriana, & quæ noviter adornabatur in Orphanotrophio Glauchensi. In his vero in dies pro ea, qua jam tum, imo a teneris ungui-

culis flagravit, Bibliophilia tot libros coemit, ut Bibliotheca, non qualis studiosum decet, sed quæ Professori sufficere potuisset, ab ipso colligeretur. Nec libris propriis contentus, publicas ac privatas insigniores Bibliothecas diligenter frequentavit. Inter illas Halæ eminebat Senatoria, quam singulari schediasmate descripsit Neumannus. Bibliotheca Academica, utpote novissime adornari cœpta, inter locupletes referenda tum nondum erat. Bibliothecæ vero exquisitæ Virorum illustrium Samuelis STRYKII & Christiani THOMASII ipsi patebant. In primis Christophorus KRAUSIUS, Medicinæ Doctor, inter literatos infelices numerandus, Bibliothecæ suæ copiosissimæ, ac libris præcipue historicis egregie instructæ, summa cum facilitate usum ei concessit. Ex hoc thesauro innumera fere Itineraria mutuo accepit, e quibus quævis per Europam universam visu atque notatu digna horis subsecivis excerpsit, ac in sex satis spissa volumina ita digessit, ut, quæ singulis in locis in futuris peregrinationibus observanda atque exploranda videbantur, facile reperire valeret. Maximam hæc illi collectio in itineribus suo tempore utilitatem præstitit.

Per idem tempus privata diligentia diebus dominicis Historiam ecclesiasticam, per-

actis sacris, haud sine fructu excoluit. Ægre enim ferebat, quod nemo ex Professoribus esset, qui vel hanc, vel Historiam literariam tunc temporis doceret, cum probe agnosceret, quantum utriusque studium commodi afferat. Legebat primum illud egregium Compendium, quod Illustris Viti Ludovici SECKENDORFII auspiciis editum est, ac *Gothanum* inscribitur, magno cum emolumento. Deinde famosum Godofredi ARNOLDI opus, quod sub titulo: *Kirchen-und Kezer-Historie* prodiit, curate pervolvit. Quod equidem institutum, etsi Cel. Thomasii consilio susceptum, ego, si meum hic mihi interponere liceat judicium, juveni studioso imitandum haud suaserim, cum Arnoldina Historia, caute profecto & summa cum circumspectione lustranda, lectorem atque judicem efflagitet non tyronem, sed virum, subacto judicio pollentem, eximia plurimarum rerum notitia imbutum, necessariis subsidiis instructum, ac in hoc studiorum genere jam exercitatissimum.

Historiam literariam aliis horis vacivis strenue excoluit, multaque ad eam facientia, quæ ineunte hoc sæculo majori, quam ante, studio in dias luminis auras emittebantur, scripta sibi comparavit. Ex Ephemeridibus eruditis præ aliis avidissime legit Acta Eruditorum, Lipsiæ evulgari solita, Bælii Novellas, quas vocavit, Reipublicæ litera-

riæ, ac Diarium Eruditorum Parisiense, quæ palmam reliquis hujusce generis scriptis dubiam reddunt.

Circa medium mensis Julii Collegium, uti nuncupant, physico-experimentale instituit immortalis memoriæ Vir, D. Fridericus HOFMANNUS, cui & VFFENBACHIUS auditor jucundissime, nec sine profectu, interfuit. Studium enim physicum tam rerum varietate, quam curiosarum, ac in omni vita utilium quæstionum exploratione cuivis facile se commendat. In primis vero illud hoc se nomine Nostro probavit, quod piis etiam de Creatoris sapientia meditationibus, quibus mirifice semper fuit delectatus, ansam præbeat. Hinc quoque Scripta illa, quæ Dei existentiam ac sapientiam ex creaturis demonstrare satagunt, velut Parkeri, Hallii, Bentleji, Raji, Nieuwenteitii, aliorumque maximo cum oblectamento & fructu studiose perlegit; imo RAJI de sapientia Dei opus ita placuit, ut ejus versionem aliquot ante obitum annos conficere cœperit, quam tamen, cum deinceps in Gallicum & Germanicum sermonem jam translatum, ac copioso CALVOERII commentario illustratum videret, ad umbilicum non perduxit.

Mense Septembri de lingua Græca addiscenda consilium, quod diu jam agitarat, persequi statuit. Cum enim hanc linguam nobilissimam ex communi errore, eam Juris

ris cultoribus minus esse necessariam, in Scholis neglexisset, nunc vero probe agnosceret, néminem sine ejus cognitione ad solidam pervenire eruditionem posse, probro sibi minime duxit, literas Græcas etiamnum addiscere. Obtulit ipsi se in hoc studio ducem quidam Artium liberalium Magister, Friebenius, homo probus ac doctus, qui tanta eum dexteritate instituit, ut elapsis duobus mensibus Novum Testamentum Græcum intelligere atque exponere satis bene valeret. Strenue deinde in hoc laudabili instituto perrexit, ac, divina gratia secundante, simul in pietatis praxi egregie profecit, ad quam quavis occasione, quam ipsi loci vel vocis cujusdam explicatio facile suggerebat, graviter illum excitare pius Præceptor allaboravit.

Hoc tempore non modo dolores illos oculorum, quibus Argentorati jam vexatus fuit, sed alia etiam incommoda sensit, quæ lucubrationibus, quibus nimium indulgebat, adscribenda videbantur. Decrevit igitur auroram, communi tum Medicorum, tum aliorum opinione, Musis amicam experiri, ac matutinis studiis assuescere. Verum invita quasi Minerva isthoc consilii cepit. Licet enim per integrum mensis spatium id tentaret, irrito tamen hoc fiebat successu, adeo, ut inter legendum ac scribendum somno nondum exacto opprimeretur. Quantumvis etiam, ut eo alacrius

ſurgeret, corpus quieti citius dederit, ſopore tamen ante ſuetum circa mediam noctem tempus non obrepente, inanis omnis non eo duntaxat tempore, ſed quotiescunque id tentaret, fuit ejus conatus.

Menſe Octobri duas Celeberrimus BUDDEUS aperuit ſcholas, quibus doctrinam politicam & Hiſtoriam recentiorem explicandam auditoribus offerebat, quas ſedulo frequentare magis e re videbatur, quam in hiſtoria antiqua tantum temporis conſumere. Haud equidem Themidos cultori negligenda eſt hiſtoria priſca: aſt opus non videtur, ut omnes Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Ægyptiorum, Græcorum, aliarumque vetuſtarum gentium Reges in numerato habeat, incertas veterum epochas omni ſtudio rimetur, ac fabuloſas ſæpe de geſtis eorum narrationes excutiat. Sed potiſſimum omnino ſtudium in medii ævi ac recentiori a Caroli M. temporibus hiſtoria collocandum videtur. Hujus enim penitior cognitio non ad alia ſolum Juris publici & feudalis præſertim ſtudia rite tractanda perneceſſaria, ſed in omni etiam vita civili inſignem plane uſum præſtat.

Ipſis Kalendis Novembris Vir illuſtris Chriſtianus THOMASIUS novum lectionum vel doctrinarum ſuarum circulum ad ductum ſyſtematis ſui, ſub titulo: *Grund-Lehren* &c. divulgati, ordiebatur. Inſignis hujusce Doctoris fama, ac variorum Scripto-

ptorum ejus, quam haud injucunde, nec inutiliter hactenus instituerat, lectio Nostrum alliciebat, ut ejus quoque se auditorem præberet: cujus jam de viro hoc celebratissimo judicium ipsis ejus verbis exponere non piget.

Mox intellexi, ut verum fatear, Thomasium multo meliorem ac solidiorem Scriptorem esse, quam Doctorem. Agnoscebam enim, genium hujus viri minus aptum esse ad docenda ordine inculcandaque tyronibus principia, cum omne fere tempus in dubiis movendis ac digressionibus vagis tereret. Ut vero attentos atque faventes auditores redderet, jocis atque facetiis, ast immodicis fere, ac haud raro Doctorem gravem minus decentibus, scopticis etiam de Collegis aliisque viris doctis judiciis ac narratiunculis prælectiones suas condire solebat. Observabam igitur, virum hunc magis idoneum esse ad eorum animos acuendos, qui apud alios debita jamjam fundamenta jecissent, quam ad docenda principia, ac formanda rudium ingenia. Hoc adeo verum deprehendi, ut plures noverim, qui præjudicio auctoritatis, quod ille sedulo cavendum alios in scriptis suis monuerat, capti, eo solo Præceptore usi, ad solidam eruditionem minime pervenerunt, sed paradoxarum opinionum sectatores ac defensores satis inepti evaserunt, in Republica minus commodi, vel utiles in Collegiis atque officiis, quibus postea admoti, obstinati, morosi ac turbulenti, ac denique ad res tractandas gerendasque parum apti. Quod variis exemplis, si hujus loci esset, probare possem. Imo, si ingenue dicendum, quod res est, omnes

omnes fere auditores Thomasiani hoc vitio laborant, ut novarum, singularium ac paradoxarum opinionum studiosiores sint, adeoque aliis, Theologici inprimis ordinis hominibus, molesti, suspecti atque odiosi esse solent. Propria sane experientia hoc me docuit ipsum, & haud leves molestiæ inde mihi enatæ, quod pro Sectatore Thomasiano fuerim habitus, licet in hujus Magistri verba nunquam juraverim, plures ejus opiniones minime adoptarim vel probarim, ac contradicendi studium, quantum ratio ac æquitas permisit, omni modo evitare studuerim. Hoc vero meum, ut libere, quod sentiam, dicam, de THOMASIO semper fuit judicium: Eum in Philosophia, inprimis Morali, excelluisse; in reliquis scientiis Criticum, ac novandi potius studium, quam profundam solidamque eruditionem commonstrasse: in humanioribus literis minus peritum, in historia vero literaria fere hospitem extitisse. Absit vero, ut famæ tanti viri, quem semper maximi feci, ac cujus etiam manes ea, qua par est, reverentia veneror, hoc meo judicio detrahere velim; hoc enim ingrati discipuli esset, cum grato potius animo multum me huic quoque Præceptori meo debere agnoscam. Mentem itaque meam melius explicabo hoc modo: Philosophus fuit THOMASIUS eximius, ac judicii acuti climatique vi ac præstantia maxima præditus, iis vero, quæ hodie a Viro docto in seculo hoc nostro, ut ita dicam, polyhistorico requiruntur, variæ eruditionis subsidiis non satis instructus. Propriis, ut ignea istiusmodi ingenia solent, meditationibus inhærere maluit, quam multa lectione variam eruditionem

aliun-

aliunde acquirere. Hinc varias, aliosque latentes, veritates felicissime detexit, erroresque prostravit, quod eo felicius præstare potuit, quod Scepticus ac Scopticus fuerit insignis. Probo utique Clarissimi HEUMANNI de THOMASIO sententiam; quam in eleganti Conspectu suo Reipublicæ literariæ tertium edito, duobus in locis tulit. Primo enim p. 176. ubi Scriptores in primanos, secundanos & tertianos haud inepte dividit, THOMASIUM in exemplum Primani jure posuit. Vocat autem HEUMANNUS primanos, qui ingenio judicioque florentissimi ex sua ipsorum penu proferunt & novas magni momenti veritates, & inveteratorum errorum detectiones. Altero in loco p. 362. summum ac verissimum hoc eidem tribuit elogium, quod primus fuerit THOMASIUS, qui Philosophiam eclecticam, prostratis pristinis erroribus innumeris, in Germanicas Academias introduxerit. Ast THOMASIUS non modo in Philosophicis, sed in omnibus fere aliis disciplinis atque scientiis auream sentiendi libertatem stabilivit, ejusque exemplum non modo Collegæ, sed & alii in Academiis Doctores strenue secuti, eandem libertatem in docendo atque scribendo omnibus hodie propugnant viribus.

Initio anni MDCCII. a quarto videlicet ad decimum usque quartum mensis Januarii diem D. Fridericus HOFMANNUS sectionem anatomicam fœminæ cujusdam, capite plexæ, instituit, cui lubens, ut ea, quæ Argentorati in anatomicis didicerat, repeteret, interfuit VFFENBACHIUS. Bene quidem pro sua in his dexteritate Illu-

ſtris HOFMANNUS hanc anatomen peregit; aſt, cum non niſi unicum ſuppeteret cadaver, præparationes ac demonſtrationes deproperandæ erant, nec ea cura atque induſtria inſtitui poterant, qua Argentorati (ubi in dies nova e Noſocomio haberi potuerunt corpora) fiebant. Singularem vero quandam obſervationem haud ſine ingenti Sectoris gaudio hujus cadaveris anatome ſubminiſtravit. Scilicet deprehendebat HOFMANNUS foramen, quod nuncupant, ovale, per quod fœtus in utero ſanguis a dextro ad ſiniſtrum ventriculum meare dicitur, adhuc apertum, quod alias conſolidari ſolet. Narrabat Vir ſummus, quod in nonnullis ſalis coctorum Halenſium cadaveribus idem animadverterit, cauſamque credebat tenellorum infantum in aquas immerſionem, a patribus, ferocioris genii homuncionibus, fieri ſolitam ratus, ideo illos homines tam diu reſpiratione carere, ac ſub aquis ſubſiſtere poſſe, cum hujusce foraminis ovalis beneficio fœtus in utero tam diu ſine reſpiratione vivere queant.

Ipſis Kalendis Aprilis VFFENBACHIUS, præludium veluti majorum itinerum facturus, cum quibusdam bonæ frugis amicis Leucopetram ſive Weiſſenfelſium iter animi cauſa ſuſcepit, ac deinde paulo poſt reditum Dresdam, Saxoniæ Metropolin, & quan-

quantum fieri poterat, non modo quævis memorabilia in urbibus, templis, arcibus, cimeliarchiis, bibliothecis, armamentariis, hortis ac theriotrophiis probe perlustravit, sed studiose etiam in pugillares retulit. Freibergæ contemplatus est in æde Cathedrali augustissimum Electorum ac Ducum Saxoniæ Mausoleum, & argentifodinas. Descendit quoque in unam ex præcipuis, vestibus, metalli fossoribus solitis, indutus, ac lampade instructus: & observavit omnes, qui in fodinis, tum in mineris per varia instrumenta eruendis, ac per cuniculos pulveris pyrii vi dificiendis, tum etiam in comportandis ac in altum evehendis exantlandi sunt, labores horrendos & periculosissimos.

Visis fodinis, omnes insuper officinas perlustravit, ubi metalla tunduntur, funduntur, liquantur, separantur ac purificantur, & infinitas, quæ ad ea tractanda adhibentur, operas haud sine voluptate perspexit. Ad Musarum suarum sedem redux, non solum hoc & sequenti anno prælectionibus THOMASII in Olearianam historiam, quæ sub titulo: *Einleitung zur Rœmisch-Teutschen Historie*, non sine applausu excepta fuit, Ethicam item suam, & Ill. COCCEJI Jurisprudentiam publicam, nec non D. Jac. Frid. LUDOVICI practico, ut vocant, Collegio sedulo

dulo interfuit, verum etiam in numerum auditorum excellentissimi JCti, Samuelis STRYCKII, qui novum Juris, ut in Academiis loquuntur, cursum tum exorsus est, eo lubentius concessit, quod solida ac perspicua summi Viri jura docendi ratio, cum ejus prælectionibus nonnunquam interfuisset, ei maxime placuerit.

Tanta etiam erat venerandi senis in docendo sedulitas, ut vix unam alteramve horam per integrum Semestre neglexerit, quamvis ob ingravescens senium perpetuo esset valetudinarius, asthmate inprimis ac pedum tumore ita laborans, ut in auditorium, quod in altissima ædium contignatione, sub ipso scilicet tecto, erat, primum per duos homines in sella quadam gestatoria e corio Russico facta, ferri deberet; deinde autem, cum non sine ratione gerulorum cespitationem lapsumque metueret, quod ipse ob proceram staturam obesitatemque admodum gravis ac ponderosus, cochlidium vero lapideum, per quod ascendendum & descendendum erat, satis esset angustum, per Mathematicum quendam machinam satis commodam fieri curaret. Sella erat cruribus carens, quæ ope duorum funium, duarumque in parte superiore scalæ decurrentium rotarum, ab unico homine per

per fuculam in tabulato ædium agitatarum, furfum ac deorfum ferebatur.

Menfa, dum in Academia Halenfi verfaretur, utebatur publica in diverforio primario, quod infigne Borufsici Regni Heredis habet. Licet enim majores ipfi fumtus effent impendendi, varia tamen inde emolumenta percepit. Commenfales ibi non modo ordinarios offendebat præter alios viros fpectatiffimos Jo. Erdmannum WITTE (c) Confiliarium regium, ac Nicolaum Hieronymum GUNDLINGIUM, tunc temporis Ephorum duorum Patriciorum Noribergenfium; fed plurimi infuper honeftæ ac illuftris etiam conditionis advenæ, qui Berolinum tranfibant, vel illinc redibant, hofpites & convictores erant. Ex talium itaque converfatione ac ufu haud parum profecit, ac, quæ in publicis tunc agebantur, magno cum emolumento didicit. De rebus etiam eruditis crebri mifcebantur fermones, quos GUNDLINGIUS pro ea, qua jam tum inftructus erat, doctrina exquifita non tantum alebat, verum pro ingenio etiam, quo

(c) vid. Jac. BURCKARDI de fua ipfius vita Commentar. p. 38. fqq. ejusdemque Analecta ad hunc Commentar. p. 24. fqq. ac Cel. G. G. KUSTERI, mihi amiciffimi, Marchiæ literatæ Specimen X.

quo gaudebat, festivo atque jucundo, multo sale condiebat. Longe sane honestiori ac liberiori vivendi ratione hic ei licuit uti, quam in ordinario studiosorum convictu, ubi pravorum quorundam consortium ac inevitabilis fere imitationis necessitas multos corrumpere solet.

Tandem vero, ut omnium rerum est satietas, vitæ eum academicæ tædium subito invasit. Mactatus autem est ante abitum, post emensum feliciter liberalium artium ac Jurisprudentiæ ambitum, & exploratam contestatamque solitis examinibus eruditionem, iis honoribus, quos indefessa ejus industria, ac decoræ sociata virtuti scientia merebatur, brabeuta Viro Illustri Christiano THOMASIO, Doctoræ in Civili & Canonico Jure charactere ac privilegiis insignitus, sub cujus etiam præsidio die VIII. Sept. A. MDCCIII. plaudente auditorum caterva, Dissertationem suam inauguralem de Quasi-Emancipatione Germanorum, occasione Reformationis Francofurtanæ Part. II. Tit. I. §. IX. mascule defendit.

EXPLICIT PARS I. VITÆ VFFENB.





VITA B. ZACH. CONRADI AB VFFENBACH CONTINUATA.



Mnibus rite peractis, et bibliotheca sua, quam jam satis locupletem habebat, in Patriam transmissa, ad itinera suscipienda se composuit.

Qui enim jam in utero materno veluti peregrinatus olim fuerat, ingenti flagrabat desiderio, varias pervadendi regiones, et quævis memorabiliora in iis contemplandi. Paraverat quoque Schema vastissimum itinerum per universam Europam, nulla provincia, etiam remotissima, excepta, perficiendorum. Vix sine risu dein maturiori ætate sche-

ma hoc perlustrare potuit. Notarat singula loca , ac quo ordine et tempore quodlibet eorum adeundum , et quamdiu in præcipuis locis ac civitatibus subsistendum. Calculo probe subducto , minimum novem annorum spatium ad omnia peraganda requisitum fuisset, ut de infinitis , ad tam longum iter necessariis , sumtibus sileamus.

Eo autumno illa per Saxoniam loca tantum, quæ nondum attigerat , perlustrare , ac Berolini per hyemem instantem subsistere , proximo autem vere per Holsatiam in Daniam ac Sueciam progredi animus erat. Sed hoc, quicquid erat consilii , sufflaminatum deinde , cum Berolini degeret , fuit ab illius Curatoribus, eum in patriam revocantibus.

Singulari beatissimi Viri beneficio sunt in manibus meis , ac eximii instar thesauri a me asservantur Diaria tam hujus brevioris , quam reliquorum ab eo deinde peractorum itinerum , in quæ memorabiliora sibi ubivis animadversa studiose retulit.

Amplissimus igitur mihi hic pateret campus , e quo multa notatu dignissima depromere , et huic commentationi inserere facile possem , nisi angustiores obstarent

rent limites, quibus hancce opellam voluit circumscriptam honestissimus Bibliopola, qui manus ipsi obstetricantes praebuit. Eo autem lubentius morem illi gero, quod ejusdem jam sumtibus eximia descriptio rerum notabiliorum, in itinere praecipuo, A. MDCCIX. et sequentibus per Germaniam inferiorem in Belgium et Angliam feliciter peracto, a Nostro observatarum nitidis excudatur typis, aeneisque elegantissimis tabulis condecoretur. Nec spes plane deest, fore, ut et breviora, quae illud antecesserunt, itinera pari aliquando fortuna gaudeant.

Abunde autem, quod in antecessum hic monendum est, e laudatis Ephemeridibus elucet, quam provide et utiliter sua instituerit itinera, quam parcus fuerit temporis, quam sagax et assiduus rerum memorabiliorum ruspator, quam studiosus mercium literariarum, quas prae omnibus aliis maximo semper in pretio habuit, conquisitor, quam alieno ab otiosis discursitationibus, turpium voluptatum illecebris, compotationibus, quas magna juvenum peregrinantium pars alias consectari solet, extiterit animo, quam cupide ubivis ingressus sit veneranda Musarum domicilia, quam suaviter in illis bonarum mentium pabulo, quovis sesamo et papavere dulciori, refectus optimus VFFEN-

BACHIUS, in illo viridi vernantis ævi flore cum Viris jam et senibus mascula eruditione ac prudentia certans.

Ita igitur animatus die XI. Sept. discessit Lipsiam, omnis elegantiæ magistram, ibique præter cætera lustravit Collegium Paulinum ac Petrinum, Museum Linkianum, Martini NABOTHI Præparata anatomica, Bibliothecas Thomanam et Paulinam, quum ad Senatoriam aditum frustra quæsivisset, ac Hortos elegantissimos, interque eos præsertim Bosiorum, Apfelii, Guldeni et Schambergeri. Viros etiam inclytæ hujus Academiæ celebriores convenit, ac in diversorio, ubi morabatur, convictorem habuit clarissimi nominis Virum, Wilhelmum Ernestum TENZELIUM, ex cujus vero usu ac consuetudine admodum difficili atque injucunda parum proficere licuit, cum auditus difficultate adeo laborarit, ut pene pro surdo fuerit habendus.

Hinc Cizam per Pegavium profectus, Principis Arcem selectumque librorum apparatum, cujus magnam partem Thomæ REINESII Bibliotheca conficit, Theriotrophium ac MITTERNACHTII Museum spectavit. Inde abiit Zwiccaviam, ac viso, duce VINHOLDO Rectore, celebri per duo jam sæcula Gymnasio et Bibliotheca

theca ſatis inſtructa, divertit ad fodinas carbonarias, horæ ſpatio ab urbe diſtantes, et lapidicinas. Illinc perrexit Altenburgum, Templum S. Bartholomæi, alterumque, quod olim Fratrum diſcalceatorum fuit, Bibliothecam et Ducalem, et Gymnaſii, Arcem, Hortum et Theriotrophium Principis, Muſeaque KUNITSCHII ac CLAUDERI luſtrans. Unde Torgam progreſſus, Arcem, ejusque ac Civitatis Templa, Gymnaſium et Bibliothecam perſpexit, prope Torgam vero Anatum ſylveſtrium capturam, in lacu ſatis ſpatioſo, ad horæ dimidium ab Urbe ſito, Equariam electoralem in vico Delen, Liechtenburgum, ubi Electrix Palatina vidua commorabatur, ac denique Annæburgum, vel potius Theriotrophium prope illud. Poſtea Wittebergam pervenit, viſisque ibi auditoriis academicis, templis tum aulico, tum primario, S. Mariæ quondam dicato, Cœnobio Auguſtiniano, Muſeo NICOLAI, Bibliotheca et publica, et privata Conr. Sam. SCHURZFLEISCHII, ſalutatisque et hoc et aliis Viris celebrioribus, tandem die XXIV. ejusdem menſis Berolinum abiit. In hac Urbe vere regia oculos animumque pavit luſtratione Arcis, quæ tum ingenti ſumtu ac auguſto ſplendore exædificabatur, Templorum præcipuorum, Theriotrophii ac Viridarii regii amœniſſimi, Equilis, cui

dextrorſus juncta eſt palæſtra, docendis ac exercendis equis deſtinata, Bibliothecæ potiſſimum, cujus clauſtra ac ſcrinia ipſi aliquoties humaniſſime fuere recluſa, Cimeliarchii, in quo veluti in compendio res totius orbis rariores ac præcipua artis naturæque miracula cum ſtupore vidit, Antiquitatum theſauri, optime digeſti, inque tribus amplis conclavibus reconditi, incomparabilis Nummorum Gazæ, quatuor abacis, diluti juniperi lacryma artificio Daglii inductis, incluſæ, quibus quintus mox accedere debebat; priſcis aliisque memorabilioribus nummis uncialibus aſſervandis inſerviturus, ac tandem Academiæ Scientiarum regiæ, illius Apollinis & Minervæ delubri. Nec omiſit, prout erat rerum ſcitu dignarum ſcrutator ſolertiſſimus, varias inviſere officinas, interque has monetariam, ſingula, quæ in cudendis minoris pariter ac majoris moduli nummis uſu veniunt, perſpicacibus oculis obſervans, ac fuſoriam, omnem varia ex ære et orichalco fundendi rationem curate inveſtigans. Adiit etiam plus ſimplici vice regium periſtromatum textorem, ortu Gallum, qua ratione aulæa, magnificis operibus picta, ac auro argentove variegata, et nec ipſis Bruxellenſibus palmam cedentia, concinnentur, ſedula inquiſitione perſcrutatus. Obſervavit inſuper apud Batavum quendam modum vaſa fictilia

lia Sinica more Delphico conficiendi, ex terra partim hic effodi, partim e Belgio et Anglia arcessi solita.

In templis solenne ipsi erat, sedulo præsertim investigare Epitaphia, viris præclare meritis posita, eaque, si digna videbantur, describere. Cum vero in quadam ædis, B. Mariæ olim sacratæ, crypta cerneret sarcophagum, in quo, quicquid mortale habuit, deposuit Frid. Rud. Ludovicus, Lib. Baro de CANIZ, quem divini ingenii fama, et inusitata carmina nostro sermone pangendi facultas pridem reddidit immortalem, illudque Viri quidem illustris nomine ac nota anni dieique natalis pariter ac emortualis insignitum, sed nullum plane Epitaphium adjectum animadverteret, huic sæculi nostri in tantum Heroem iniquitati indignatus, recessit. Sed haud dubie illi, qui feralia ipsi officia persolverunt, rati, solum ejus nomen instar omnium elogiorum esse, hoc unum sandapilæ inscripserunt, cum virtutibus ipse suis et carminibus elegantissimis sibi erexerit monumentum, quovis ære ac marmore perennius, regalique situ Pyramidum altius, quod non imber edax, non aquilo impotens possit diruere, aut innumerabilis annorum series, et fuga temporum. Ego igitur paucis mutatis in vatem consummatissimum transfero egregium e-

pigramma, in tumulum Jac. CUJACII Avarici Biturigum, cum adhuc A. 1639. epitaphio careret, a Vincentio Fabricio (a) confectum:

CANIZI cineres capulo veneratus in isto,
Ne fama dubites, hospes, habere fidem.
Nam tumulus titulo caret; est sine marmore bustum:
Indice eget, quamvis sit sacer ille locus.
Sed caperet dignum tanto qui nomine carmen,
Scilicet in toto non fuit orbe lapis.
Adde, quod, æternos dum versat patria libros,
Credidit, auctorem non potuisse mori.

Inter plures eruditos celebritate nominis conspicuos salutavit Venerandum Theologum, D. Phil. Jac. SPENERUM, Ecclesiæ tum Nicolaitanæ Præpositum, in quo, præter singularem animi vitæque sanctimoniam, eruditionem summam cum pari certantem humanitate lætabundus suspexit. Nondum is deposuerat Francofurtanæ, cui olim laudabiliter præfuit, ecclesiæ memoriam, atque adeo vel hoc nomine Nostrum obviis veluti ulnis perquam

(a) vid. ejus Orationes, Dissertationes, epistolas et poemata, junctim divulgata, p. 715. conf. HUETII Commentar. de rebus ad eum pertinentibus, p. 382.

quam comiter excepit. Probe adhuc recordabatur integræ nobilissimæ gentis Uffenbachianæ, quæ illum quondam in oculis atque deliciis habuit, ac de aliis quoque Familiis Francofurtanis tot singularia referebat, omnes quarundam lineas et genealogias justo ordine enarrans, ut Nostro esset miraculo, Virum tam provecta ætate, tam diu jam Francofurto absentem, totque gravissimis obrutum negotiis, adeo felici adhuc rerum Francofurtensium gaudere memoria. Monstrabat igitur ipsi topographicam Civitatis Francofurtanæ tabulam, a Meriano æri incisam, parietique ante Museum appensam, illam se subinde per otium oculis permeare, atque hoc pacto pristinarum rerum memoriam confirmare dictitans.

Convenit etiam ejus filium, Christianum Maximilianum SPENERUM, Medicinæ Doctorem, et Archiatrum regium, cui a magno parente veluti per traducem ingeneratus erat amor studii genealogici atque heraldici, in quo ille viris, in harum rerum scientia exercitatissimis, palmam præripuit, studiose ejus Physiotameum contemplatus.

Adiit præterea solertissimos quosdam artifices, Recnagelium scilicet, in vitris argenti modo cælandis principem, Dagli-

 um,

um, in rebus ſandaracino diluto imbuendis dexterrimum, Lævinum gente Judæum, ſigillorum ſcalptorem ſcientiſſimum, Weyhenmajerum, patria Ulmenſem, et Andream Rothium, ſculptores et ſtatuarios vel Praxiteli comparandos, quorum ille præſertim incomparabilis etiam in effigiebus ex cera fingendis artifex erat: rimatus pariter ac miratus exquiſitiſſima artis, in qua eorum quisque excellebat, ſpecimina. Et quis, quæſo, dubitet, quin VFFENBACHIUS noſter, cui dulces ante omnia Muſæ erant, officinas etiam librarias diligenter viſitaverit, inter quas tum Rudigeriana reliquis præſtitit? In hac cum aliquando in famoſum illum Stoſchii libellum, quem *Concordiam rationis et fidei* inſcripſit, inquireret, Rudigerus, vir alias ſatis humanus, nullum plane reſponſum dabat, inſtantem vero haud ſine gravi indignatione quærebat, num ipſum tentare, vel grandi periculo exponere cuperet. An ignoret, quod opuſculum illud auctoritate regia ſuppreſſum, ac tantis ſub pœnis prohibitum ſit, ut, qui aliquod ejus exemplum poſſideat atque retineat, ingenti mulcta, qui autem vendat, fuſtigationis pœna afficiendus ſit? Cum vero intelligeret, Noſtrum eſſe peregrinum, ac neſcire, quod tam gravi pœna libellus iſte ſit prohibitus, mox placabatur. Nihilo tamen minus plura illius exempla-

ria apud curiosos latitare, cognovit deinde VFFENBACHIUS, cui unum etiam a Medico quodam sub summa silentii fide ad unius dieculæ usum fuit concessum, quod sua manu, noctis quoque tempore adhibito, descripsit.

Interim vero etiam subinde divertit in loca Berolino vicina, ac arces regias, quæ magno satis numero circumjacent, Potsdamium puta, Caput, Bornem, Glünecke, Spandaviam, Neuendorfinm, Pessenavium, Oranieburgum, &c. Excurrit quoque Malchavium, unico ab Urbe lapide distans prædium amplum ac splendidum Pauli a FUCHS, ex intimis Regis Consiliariis primarii, quod ipse Rex atque Regina animi causa frequentare solebant: Bibliothecam ac Museum Illustrissimi Viri conspicatus, aptiorem Musis ac studiis locum inveniri vix posse ob summam non modo tranquillitatem, sed amœnissimum etiam undique per hortum prospectum, censuit. Spectatis porro urbis ad portam Spandavianam propugnaculis, per Bernaviam, Neostadium et Angermundam se Suetum contulit, ac, arce aliisque ibi visis, veloci cursu Custrinum festinavit, in qua urbe munienda artem natura vicisse videbatur. Hinc conscendens naviculam, secundo Viadro, ac posthac Wartha leni aquarum tractu in Viadrum sese insinu-

nuante, Sonneburgum concessit, quod oppidum cum Arce equestris Johannitarum Ordo possidet, conspecturus ibi ornatum, et insignia, adhiberi consueta, quando equites veteri ritu stricti gladii percussu creantur: sed desiderio frustratus suo ob absentiam ejus, qui Ordini a secretis ac sacri custos scrinii erat, vidit tantum reliqua Arcis et Templi memorabilia, Custrinumque navigio rediit, peracta sic felici sydere omnium prima, quas in itineribus suis instituit, navigatione.

Inde Musas Viadrinas exosculaturus, in Academiam Francofurtanam properavit. Munus tum docendi in ea præclare obibant inter cæteros Viri doctrina et laudibus insignes, Henricus et Samuel COCCEJI, Jo. Christophorus BECMANNUS, Samuel STRIMESIUS, Barth. HOLZFUS, Arnoldus WESENFELDIUS, et Leonh. Christoph. STURMIUS. Præter Templa lustravit Academiæ Bibliothecam, cujus Catalogum BECMANNUS edidit. Observavit in illa duo armaria, quorum unum non nisi Disputationum, ab hujusce Universitatis Professoribus publice ventilatarum, voluminibus, Gallicano more ligatis, iisque maximam partem primæ magnitudinis, instructum erat: alterum Voluminibus, eodem modo compactis, quæ Programmata, Orationes, et Carmina,

na, hic in lucem emiſſa, complectebantur, quibus ſemper adjici ſtudioſe ſolebant ſcripta hujusce generis ſingula, ſenſim in dias luminis auras prodeuntia, ac in poſterum quoque proditura adjicientur: quod laudabile inſtitutum ſe Noſtro mirifice probavit.

Avidis etiam oculis apud laudatum BECMANNUM, multis nominibus de illa Academia præclare meritum, contuitus eſt tam varia naturæ curioſa, quam ſcrinium, diverſi generis urnis, lampadibus, ac utenſilibus priſci ævi, in circumjacente regione potiſſimum erutis, copioſe refertum. Divertit hinc in vicinam regionem, ut quædam naturæ prodigia indagaret, quorum notitiam ex BECMANNI ſcriptis et aliunde hauſerat. Et primo quidem viſitavit Poetarum, quem nominant, fontem, prope Carthuſiam in vinea quadam ſitum, in cujus aquas conjecta virgulta, folia, ligna et alia, quæ foramina habent, in lapides converti, priore forma manente, olim jam Georgius AGRICOLA, Lib. II. de Natura eorum, quæ effluunt ex terra, f. 543, ac poſt alii naturæ ſcrutatores tradiderunt. Sed animadvertit Noſter ex αὐτοψία, ea, quæ in fontem hunc injiciuntur, non plane in ſaxa permutari, verum lapides duntaxat cortice obduci. Tacito autem quodam gaudii ſenſu fuit mi-

ri-

rifice circa hos latices affectus, quod hic olim frequenter versatos esse nobilissimos Poetas, Conradum CELTEM, Ulricum HUTTENUM, Eobanum HESSUM, Mich. HASLEBIUM, Jo. et Christianum SCHOSSEROS, aliosque mente recoluerit, atque adeo vestigia veluti eorum impressa conspicere, ac venerari ipsi licuerit. Accidit igitur illi idem fere, quod Ciceroni quondam, Athenis diversanti, qui Lib. V. Cap. I. de Finibus ita de se: *Mihi Platonis in mentem venit, quem accepimus, primum hic disputare solitum, cujus etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi afferunt, sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic ejus auditor Polemo, cujus ipsa illa sessio fuit, quam videmus.* Tantorum igitur Virorum, quos τῦ χρυσῦ αἰῶνος λείψανα jure vocaveris, ad hunc fontem meminisse, juveni nostro philomuso dulce erat.

Exin Wrizigium, pagum uno lapide Francofurto distantem, petiit, spectatum in regione adjacente novam fossam, qua mediante Viadrus et Sprea, indeque mare Germanicum et Balthicum summa commerciorum utilitate junguntur, opus stupendum, frustra olim tentatum, sed tandem sub auspiciis FRIDERICI GUILIELMI, Electoris gloriosissimi, successu felici perfectum, et octo cataractis lapideis,

quas

quas amotis ligneis FRIDERICUS I. Potentissimus Borussiæ Rex, substituit, instructum. In altera pagi regione in exiguo monte visit scaturiginem, in qua lapides, rubris conspersi maculis, instar sanguinis guttarum, sunt obvii. Hinc Lichtenbergam perrexit, ac in vicina ejus pagi regione antiquum illud monumentum lapideum, tumulo prisci cujusdam Herois, uti videtur, appositum, et ab accolis *Napschens-Stein* appellitari solitum, cujus BECMANNUS in Accessionibus histor. ad Wolfg. JUSTI Descriptionem Francofurti ad Viadrum, f. 23. sq. meminit, exquisivit, eoque modo comparatum vidit, quo a viro laudato describitur.

Haud parum vero ingenuas hasce delicias, quibus tam suaviter fruebatur, disturbarunt literæ Curatorum, Berolinum reduci redditæ, quibus, nihil tale opinans, in patriam revocabatur. Sarcinis itaque convasatis, ac plurima Berolino salute dicta, sub ipsum anni MDCCIII. finem reditum ad suos instituit. Eadem vero via, qua Berolinum venerat, Lipsiam celeri cursu reversus, jucunde spectavit Bibliothecam Senatoriam, in quam eum insigni comitate deduxit illius Præfectus, Godofr. GRÆVIUS, Criticorum facile principis Jo. Ge. GRÆVII frater. Invenit eam opulento librorum impressorum

apparatu instructissimam, et codicibus quoque MSS. haud paucis superbientem, ac Orientalium præsertim exquisita copia, quorum plurimi e Bibliotheca Wagenseliana paulo ante huc migraverant, affluentem. Intento etiam vultu consideravit Mumiam Ægyptiacam, de qua singularis extat Kettneri dissertatio. Doluit Grævius, Lipsiensem cœli temperiem esse illi aliquantum incommodam, unde caput quoque ejus abruptum sit: cæteroquin autem erat integerrima, omnibus integumentis ac signis hieroglyphicis prædita, et omnium, quod quidem constet, maxima atque pulcherrima (b). Luculenta quoque veterum numismatum copia præsto erat, quorum contemplatione insigniter fuit oblectatus.

Tandem Noster ad patrios focos d. X. Jan. A. MDCCIV. divino favente Numine, valens sospesque rediit, ac per integrum, et quod excedit, lustrum, si excursiones quasdam excipiam, hic substitit, privatæ vitæ tranquillitatem atque dulcedinem sectatus, ita tamen, ut totum illud otium, in literarum studiis consumeret,

(b) vid. b. Gottfr. Christiani GOEZII, Prætoris et Bibliothecæ Senatoriæ Lipsiensis, dum viveret, Præfecti, elegans Programma, quo publicum Bibliothecæ hujus usum A. 1711. prid. Non. Aug. indixit, p. 36. sq.

ret, et auſpicata vaſtiſſimæ illius Bibliothecæ, e qua tot in orbem eruditum redundarunt utilitates, fundamenta incredibili ſolertia poneret; quod tempus feliciſſimam vitæ ſuæ periodum appellitare conſuevit.

Muſas ſibi tam caras, ac in Academiis et itineribus flagranti induſtria cultas, ſecum ad Penates ſuos reduxit VFFENBACHIUS. Mente igitur diligenter primo omnium recolenda ſibi ſumſit ea ſtudia, quibus Argentorati atque Halæ ſedulam navarat operam, probe gnarus, repetitionem eſſe illorum quaſi animam, per quam eà demum veram vivacitatem et maſculum vigorem accipiant. Quodam vero præſertim naturæ ductu ferebatur in amorem hiſtoriæ literariæ, quam ad ſolidiora facere aditum, omnisque doctrinæ ac ſapientiæ fontes recludere cenſebat. Satis ergo illi erat, quod ageret, tempusque, quo nihil ipſi fuit pretioſius, jucunde pariter ac fructuoſe transmitteret, veræ eruditionis dulcedinem cuilibet oblectationis generi longiſſime præferens.

Tam dulces autem ipſi erant Muſæ, tam ſuaves bonæ literæ, ut eo quidem tempore noluerit, certo ſe vitæ generi addicere, ne ſcilicet hoc pacto ab earum cultu avelleretur; præſertim ſi iis impli-

caretur negotiis, ad quæ animi indoles haud erat proclivis. Lectitandi, meditandi, scriptitandi voluptatem cum Galliæ quondam lumine, Guil. BUDÆO (c) nec ære, nec auro permutandam esse censuit, ne sceptris quidem ipsis, nedum fascibus ad vulgus splendorem suum venditantibus. Jo. Harius ob copiosissimam Bibliothecam, maximis sumtibus ac inexplebili industria collectam, vocatus olim est *Joannes cum libris* (d). Noster nunquam fere et nuspiam sine libris erat, sive deambularet per campos, læto gramine decoratos, sive curru veheretur, sive patulæ sub tegmine fagi jucundisque sylvarum viretis recubaret, sive ripis Mœni, rauco murmure suaviter strepitantis, assideret. Jucundiori anni tempore, urbanis se turbis subducturus, secedere solebat in prædia Generosissimi Affinis LINDHEIMERI amœnissima, sed libris semper comitatus et Musis, quas secum quoque rusticatum ire jussit.

Quum vero in eo inexhausta esset legendi et variam ex libris doctrinam haurien-

(c) in Epistolis p. 36. edit. Basil. A. 1521.
(d) vid. Jo. LOMEJER. de Bibliothecis Cap. X. p. 209. edit. Schmid. coll. Clar. Virorum Epistolis, a GABBEMA Harlingæ A. 1654. evulgatis, p. 604.

riendi cupiditas, hanc ejus φιλομαθίαν βιβλιοφιλία ceu fidelis pediſſequa inſequebatur. Apud animum igitur ſtatuit, inſignem condere Bibliothecam, non ſibi duntaxat, ſed aliis etiam, literis ſtrenue operantibus, uti bono publico natus erat, profuturam, nullis ſumtibus, nulli operæ hac in re feliciter peragenda parciturus, cui ſtudio cum per omnem vitam fuerit deditus, magnumque inde nomen nactus, potiſſima, quæ ad Bibliothecæ illius ſpectant hiſtoriam, ſedulo annotare noſtrarum eſſet partium, id quod rei etiam librariæ curioſis neque inutile, neque injucundum fore ſperari poſſet. Quoniam vero limites nobis præſcripti id haud permittunt, tertio hujus Sylloges tomulo præfigam ſingularem de ſtudio b. VFFENBACHII bibliothecario commentationem. Nunc autem omnem hanc rem in pauca contraham.

Magno animo vaſtiſſimæ Bibliothecæ adornationem aggreſſus eſt, ad quam cunctis, illa in rei literariæ incrementum uſuris, liberrimum deinde conceſſit aditum. Conſpiraſſe autem inter ſe videtur fatum et conſilium, propitiamque ſatis expertus eſt fortunam in hoc laudabili inſtituto, ac MSStis præcipue Codicibus ingenti numero congerendis. Principio quidem non certos ſibi limites fixerat, intra quos

 ſe

se potissimum contineret animus librorum habendorum avidissimus, sed juvenili quodam fervore abreptus, in omne se eorum genus laxis habenis diffundere cœpit. Agnovit autem postea, patentissimum hunc campum ingressus, Crœsi etiam gazas sic tandem exhauriri posse. Prudens igitur ac damno suo eruditus, mutavit, tempore procedente, mentem, ac præ cæteris libros historico-politicos, illos item, qui ad rei literariæ notitiam spectant, quique sunt paulo post prima artis typographicæ incunabula typis exscripti, præterea rarius obvios, ac eos præsertim, quos prohibitos vulgo vocitant, et denique manu exaratos, præcipue vero eruditorum Epistolas, libros item manu doctorum virorum notatos atque illustratos, ac tandem documenta actaque Francofurtensia, quanta posset, industria colligere, haud tamen plane neglectis aliorum generum libris, decrevit.

Læta vero in dies incrementa capiente Bibliotheca, crevit et ejus in illa digerenda, apteque collocanda labor ac industria. Cumprimis multum operæ studiique consumsit in adornandis librorum suorum Catalogis. Vix credibile est, quantum molestiæ hoc in negotio devoraverit, ut aliorum potissimum, opibus literariis, tanto a se sumtu congestis, uti cupientium commoda

moda promoveret Vir laboris patientiſſimus. Ne quid de aliis bibliothecæ ſuæ Catalogis ab eo concinnatis dicam, quantæ, ſodes, molis erat, illum ſpecialiſſimum omnium librorum et opuſculorum in variis collectionibus comprehenſorum, vel aliis inſertorum annexorumve Indicem conficere, quem A. MDCCVI. exorſus eſt, cum numerus illiusmodi ſcriptorum A. MDCCXXV. ad ſexagies jam mille excreverit (e)?

Animadvertens autem, Francofurtum haud ſatis librorum ad Bibliothecam ſuam ſtrenue locupletandam ſibi ſubminiſtrare, peregrinationes quoque ejus cauſa ſuſcipiendas duxit, quarum præcipuum fructum in doctrinæ ſuæ copia feliciter ex converſatione cum eruditis augenda, ac in libris Codicibusque in patria fruſtra quæſitis adipiſcendis conſiſtere cenſuit. Non ignotum ipſi erat, quam pretioſa ſpolia ex itineribus in Orientem peractis Guil. POSTELLUS, Augerius Gislenius BUSBEQUIUS, Achilles HARLÆUS Dominus de Sancy, Thomas ERPENIUS, Theodorus PETRÆUS, Jac. GOLIUS, Joannes GRAVIUS, Chriſtianus RAVIUS, Eduar-

(e) vid. ſi placet, quæ de illo in ſingulari obſervatione, Syllogæ noſtræ epiſtolicæ inſerta, p. 41. ſqq. diximus.

dus POCOKIUS, Georgius GENTIUS, Robertus HUNTINGTONUS, aliique domum reportaverint; quot optimæ notæ libros et Codices in peregrinationibus suis POGGIUS, Pomponius LÆTUS, Conradus CELTES, Didacus MENDOZA, Jo. SAMBUCUS, Jac. Aug. THUANUS, Nicol. Claudius Fabricius de PEIRESCIO, Jac. GRONOVIUS, Marqu. GUDIUS, C. S. SCHURZFLEISCHIUS, et innumeri alii sibi vindicaverint. Statuit igitur etiam VFFENBACHIUS, quam primum fieri posset, profectionem in Belgium et Angliam librariæ suæ potissimum supellectilis ac doctrinæ cumulandæ gratia facere, ibique Bibliothecis lustrandis, eruditis salutandis, libris codicibusque emendis animum suum φιλομαθέστατον oblectare pariter, ac multarum rerum utilium peritia instructiorem reddere. Cum vero nemo tunc esset ex consanguineis, qui facultatum ejus curam suscipere vellet, illius consilii expeditio in futurum rejicienda erat tempus. Interim tamen varias excursiones, ceu majoris itineris præludia, instituit.

Scilicet animi gratia A. MDCCV. d. XI. Maji Hanovium, quod Francofurto vicinum amœnissimumque est oppidum, excurrit, ibique amicitiam cum Viris doctissimis, Jo. Dan. CRAMERO et Theodo-

ro

ro HASÆO, inclyti Gymnasii tum Professoribus, contraxit, multis in rebus postea ipsi frugiferam, cum Crameri potissimum opera non paucis bonæ notæ libris Bibliotheca ejus fuerit adaucta, quos inter præcipuo loco commemorandus est incomparabilis ille Codex cerimonialis MS. Imp. Constantini Porphyrogenneti, de quo ejusque fatis ac Vffenbachii studio in editionem ejus curandam impenso in Sylloge epistolari p. 6. sqq. ex instituto disserui.

Eodem etiam mense excursionem Belgicam cum ornatissima Sorore ac aliis familiaribus suscepit, die nimirum XXVII. Maji Francofurto abiens, ac d. XVI. Aug. domum reversus. Paucula tantum ex hujus itineris Diario speciminis gratia decerpemus, partim ad curiosa naturæ et artis, partim ad rem literariam spectantia.

Amstelodami admirabundus contemplatus est VINCENTII, mercatoris cujusdam, Technophysiotameum plane incomparabile, cui rite perlustrando vix annus suffecisset, curate autem describendo plura majoris formæ volumina complenda fuissent (t). Prodigiosa inprimis rerum

(t) conf. Clar. Jac. Burckhardi de sua ipsius vita Commentar. p. 55. sq.

naturalium omnis generis copia illud abundabat, interque eas variis rarioribus animalibus, embryonibus, monſtris, ſpiritu vini conſervatis, vitrisque incluſis: conchyliorum et inſectorum, ex omnibus Orbis partibus conquiſitorum, incredibilem oſtentabat multitudinem; cunctaque tam eleganter ac ſcite diſpoſita erant, ut dubius fuerit Noſter, num ordo magis, an res ipſæ admirationi contuentibus eſſe deberent. Ipſa poſſeſſoris ingenioſa uxor inſecta ſolerter præparare, ſumma induſtria et arte agglutinare, atque ſexcentis modis mirifice diſponere ſolebat. Integra veluti topiaria aliasque figuras jucundiſſimas ex artificioſa inſectorum diſpoſitione tam affabre confecerat, ut, niſi quis propius acceſſiſſet, primo intuitu omnia vel Phrygiana eſſe opera, vel penicillo aut acu picta, exiſtimaſſet: tam concinne et ſcite colores inſectorum et reliqua fuere diſpoſita et conglutinata. Singula conchylia ſpeculorum inſtar erant expolita, quod Amſtelodami quidam mira arte facere ſolebat, victum hoc labore quærens. Uxor omnia ſecundum ſua genera tam belle diſpoſuerat, ut in ſingulis loculamentis pro eorum diverſitate diverſa vel topiaria, vel ſydera, vel alia ex iis Dædaleo ingenio amuſſitata, inque concinnam ſeriem digeſta conſpicerentur. Cuncta autem tam munde ac nitide erant conſervata, ut ne pul-

pulvisculum quidem in ullo deprehendere licuerit. Sollicite hinc cavebat Possessor ac artificiosa ejus conjux, ne quis coma mutuaticia, pulvere odorato conspersa, ornatus propius ad insecta potissimum accederet, eaque pulvisculo perfunderet. Centum sibi hic Argi exoptasset oculos, ac integri anni tempus, quo singula penitius contemplari, sapientiamqne Dei in minimis decenter admirari potuisset. Ipse possessor, singulari humanitate pollens, binis hebdomadis diebus suum thesaurum cunctis lustrandum permittebat, quem ejus jam parens adornare cœperat, ipse vero strenue adhuc in dies locupletabat, ex omnibus orbis partibus insecta aliaque stupendis sumtibus amicorum opera conquirens. Summo autem jure huic naturæ artisque Theatro inscribi potuissent illa, quæ olim quidam cecinit de Bernhardi PALUDANI, Medici Enchusani, Thaumatotheca, in qua non ægre tulisset PEIRESCIUS, teste GASSENDO (g), tanquam ad Cyaneos scopulos consenescere:

(g) in Vita Peirescii Lib. II. p. 127. De hoc Paludani Cimeliarchio vid. Georg. Hegenitii Itinerarium Frisio-Hollandicum. p. 85. sq.

Quicquid terra sinu venisque recondidit imis,
Thesauros Orbis hæc brevis arca tenet.
Laus magna est, tacitas naturæ inquirere vires,
Major, in hoc ipsum munere nosse Deum.

Harlemi cupidus erat videndi illa primigeniæ typographiæ monumenta, in Curia custodita, quæ Laurentio Costero suo adscribere solent Belgæ; cumque MISSONIUS (h) Speculum humanæ salvationis, quod eorum præcipuum est, tanta ibi asservari sollicitudine referat, serico involutum, et argenteæ capsulæ inclusum, ut ejus curam aliquot e Senatorum ordine gerant, quorum singuli peculiarem ad capsulam illam reserandam clavem teneant, ne unus absque alterius ope cimelium hoc contrectare, aliisque ostendere queat, Vffenbachius rem longe aliter se habere, ac Missonius nugatur, non tunc modo, sed deinde etiam A. MDCCXI. et MDCCXVIII. αὐτοψίᾳ tertium repetita, didicit. Summa enim facilitate, ternis istis vicibus cimeliorum illorum inspectio ipsi concessa. Nam cum primum in Curia Harlemensi in libros istos inquireret, illico quidam Scribarum, Vir perquam humanus, aderat, qui eum absque Senatorum convocatione, vel clavium flagitatione, in hypocaustum, Ta-

(h) in Itinerario per Italiam, Germanice edito Lips. A. 1713. Tom. I. p. 34.

Tabulario Civitatis proximum, deducebat, in quo ſine mora ex hoc deportabat capſulam quandam, non argenteam, qualem fabricat Miſſonius, ſed ligneam, formam libri cujusdam, vel voluminis ſpiſſioris, referentem, in qua cimelia illa erant recondita. Capſula hæc non ſeris, quibus idem illam inſtruit, ſed uncinis orichalceis, ut libri ſolent, clauſa erat, in quorum uno cælatum: SPECULUM HUMANÆ SALVATIONIS LAURENTII COSTERI: in altero vero idem Belgice: SPIEGEL MENSCHLICHER BEHOUDENISSE. Remoto operculo, expromebat Renzius (hoc Scribæ nomen fuit) non unicum Speculum, ſed quinque volumina, numeris pro ætatis, ut aſſerebat, ratione ſignata. Nullum vero eorum, ut denuo fingit Miſſonius, ſerico erat involutum, ſed corio rubro, ut videbatur, Moſcovitico erant compacta, quæ omnia et ſingula ſolus ille oſtendebat, et citra piaculum contrectanda, proque lubitu inſpicienda porrigebat humaniſſime. Deſcribendis vero jam libris iſtis ſuperſedere, chartæque parcere poſſum, cum otium hic mihi fecerit ipſemet optimus VFFENBACHIUS, qui in binis literis, olim ad me humaniſſime datis, ac Amœnitat. Literar. Tom. IX. p. 970. ſqq. inſertis, eos curate recenſuit. Mirari autem ſatis nequeo, Jo. Gottliebium KRAUSIUM, Virum alias præſtan-

tiſ-

tissimum, in Tabulis rerum, quæ in Orbe erudito geruntur, novarum fidem inclyti Mæcenatis ipsa nixam experientia, hac in re in dubium vocasse. Opponimus ergo illi alios testes duos αὐτόπτας, eosque fide dignissimos, VFFENBACHIO nostro adstipulantes, Viros nempe integerrimos, Albertum Henricum de SALLENGRE (i), et J. C. NEMEIZIUM (k).

Haga Comitum digressus est Schevelingam, ut ibi experimentum caperet ejus rei, quam GASSENDUS PEIRESCIUM quondam explorasse his verbis refert (l): *Divertit Schevelingam, ut exploraret vectationem et velocitatem Currus ea solertia a paucis annis excogitati, ut passis velis in littore navigii instar evolaret. Inaudierat nempe, Comitem Mauritium post Neoportuensem victoriam experiundi gratia illum conscendisse, una cum capto in prælio Francisco Mendoza, ac intra duas horas attigisse oppidum Puttenum, quod inter atque Schevelingam horaria milliaria quatuordecim intercipiuntur. Quare ipse quoque experiri* vo-

(i) vid. ejus *Memoires de Litterature*, Tom. I. Part. II. p. 392.

(k) conf. ejus *Vernünftige Gedancken über allerhand Historische, Critische und Moralische Materien.* Part. I. p. 34. sqq.

(l) in vita Peirescii Lib. II. p. 128.

voluit, commemorareque solebat stuporem, quo correptus fuerat, cum vento translatus citatissimo, non persentisceret tamen (nempe tam citus erat, quam ventus) cumque animadverteret scrobeis occurrenteis prætervolari; restagnantes passim aquas superficie tenus duntaxat attingi; qui antecedebant cursores, visos quasi retrorsum niti; quæ distantissima apparebant, momento pene prætervehi; et quædam id genus similia. Inventor idemque fabricator currus hujusce velivoli, quem ne velocissimi quidem equi longo spatio æquare potuerunt, fuit Simon STEVINUS, Brugensis, vir supra captum vulgarem, Adriani Romani judicio, in mathesi rerumque naturalium cognitione versatus (m). Fuit etiam Hugo GROTIUS in stupenda illa vectione una cum aliis Mauritii Nassovii socius, cujus in Casp. DORNAVII Amphitheatro sapientiæ Socraticæ joco - seriæ (n) in hunc currum veliferum exstat elegantissima elegia cum viginti duobus epigrammatibus.

Mi-

(m) De quo vide sis Valerii Andreæ Desselii Biblioth. Belg. p. 813. ejusdemque editionem a Jo. Franc. Foppens adornatam Tom. II. p. 1102. et P. Bælii Diction. Crit. Tom. III. f. 2655. edit. III. Roterod.

(n) Tom. I. f. 669. sqq.

Miror, eum memorabilis hujus rei haud fecisse mentionem in historiarum de rebus Belgicis Lib. IX. ad annum MDC. p. 399. sqq. ubi de illa Neoportuensi victoria exponit.

Hujus autem rei, PEIRESCII exemplo incitatus VFFENBACHIUS quoque periculum facere gestiebat, sed non tam felici ipsi esse licuit, sive quod nemo amplius præsto sit, qui currum hunc mirabilem rite tractare norit; sive quod venti votis haud responderint, id quod prætexebant ii, quibus proxenetis in curru hoc contuendo usus est. Figura hujus currus æri incisa exhibetur in Jacobi Marci Deliciis Batavicis, Amstelodami A. 1618. forma oblonga excusis, eique hoc subjectum est distichon:

Quo non se Batavum vis exerit! Aspice currus,
Quos modo quadrupedes, nunc levis aura vehit.

Ex hac profectione id inter cætera reportavit utilitatis, ut familiarem sibi reddiderit sermonem Belgicum, cujus notitia ipsi deinde fuit ad Glossarium veteris linguæ Germanicæ (o) adornandum valde proficua. Præterea, cum venditioni Bibliothe-

(o) vid. hujusce Sylloges Part. I. p. 124.

bliothecarum, præconis voci ſubjici ſolitarum, jucunde interfuiſſet, ac ſupellectilem ſuam librariam hoc pacto feliciter locupletaſſet, ex iſtiusmodi auctionibus, a quibus antehac abhorrebat animus, poſtea plurimos egregios libros, tam calamo exaratos, quam typis excuſos in ſuam Bibliothecam intulit.

Ejusdem anni Menſe Octobri Darmſtadii, Wormatiæ, Francothalii, Manhemii, et Heidelbergæ, quicquid exploratu videbatur dignum, inveſtigavit.

Anno autem MDCCVI. menſe Septembri vergente, excurrit Moguntiam, ac inde præter quosdam Codices MSS. ultra centum nummos antiquos domum retulit. Etenim Nummophylacium quoque inſtruxerat, quod tum, quantum pote, locupletare ipſi curæ cordique erat, de quo ita ad ACKERUM ſuum IV. Id. Oct. illius anni: *Paucos ante dies Moguntiæ fui, ibique inveni tres Codices membranaceos, de quibus proxime plura. Accepi quoque nummorum antiquorum ultra centum, maximam partem æneorum, inter quos quidam rariſſimi. Curta quidem mihi adhuc eorum ſupellex eſt; quicquid tamen in manus incidit, magna cura colligo. Igitur cum ſciam, quod in Miſnia atque Saxonia multi reperiantur nummi bracteati (de quibus Schlegelius, Olearius, Tenzelius) enixe te rogo atque*

atque obsecro, si quid occurrat, ut aequo pretio mihi comparare velis. Nihil omittas, precor, quo Museum meum locupletare poteris. Cum enim nil mihi gratius atque acceptius sit, augebis meum erga te amorem, jam jam maximum. Sumtus quoque omnes quam lubentissime resarciam.

Anno tandem MDCCIX. rebus suis ita dispositis, ut peregre sibi abire liceret, accinxit se ad iter Belgicum et Anglicum, dudum jam animo conceptum ac exoptatum, eruditionis suæ et Bibliothecæ divitias potissimum cumulaturus, sique in Anglia sibi res ad voluntatem fluerent, perpetuam in Collegio quodam Oxoniensi sedem fixurus. Quis vero de itinere hoc non optima quævis animo præcipiat? Quis dubitet, eum inde uberrimum laboris atque impensarum retulisse fructum? Cum mens ejus jam optimorum librorum lectione subacta, judicium maturum, indolesque animi virtutum præceptis ac exemplis optime firmata fuerit. Animo jam, antequam pedes in illas regiones inferret, iter emensus feliciter erat, a puero fere e præstantissimis itinerum scriptoribus aliisque libris memorabiliora apud exteros conspicua diligenter enotaverat, Bibliothecas lustratu digniores ac præcipua earum cimelia, Nummophylacia item atque Technophysiotamea in numerato habebat, et quicquid quo-

uovis in loco præ cæteris illuſtre ſit obervandum, oculisque cupidioribus conuendum, ad unguem noverat.

Prudenti autem conſilio ſecum conſtituit, itineris comitem ſibi adſciſcere Generoſiſſimum Fratrem, Jo. Fridericum ab VFFENBACH, Halæ tum Magdeburgicæ liberalibus ſtudiis operantem, hodie vero perilluſtri in loco poſitum, Reip. nempe Mœno-Francofurtanæ Conſulem Magnificum, belli pacisque artibus inclytum, jucunda hujusce fidi ſibique tenerrime deamati Achatis ſocietate moleſtias itineris levaturus, ac ſcita ejus artisque Apellææ gnariſſima manu ad delineanda naturæ & artis miracula, canæque antiquitatis monumenta uſurus. Abiit igitur prius d. XIX. Aprilis citato curſu in Saxoniam, dilectiſſimi Fratris mentem ad peregrinationis conſortium flexurus: XXIII. autem Jun. ad Lares ſuos rediit. Emicat etiam ex hujus itineris deſcriptione ſtupenda optimi Mæcenatis induſtria, ac mirandum eſt, in tantillo ac bimeſtri duntaxat temporis ſpatio tot Viros præclaros ab eo ſalutari, tantam librorum ac rerum notabilium copiam non vagis modo oculis & veluti per tranſennam, ſed exquiſita diligentia & exacta cura luſtrari, ſingulisque diebus tot memorabilia in chartam ex pugillaribus referri potuiſſe. Sagaciter in

 hoc

hoc excurſu ſpeculatus eſt Lipſiæ Bibliothecas ITTIGII ac Paulinam denuo, Muſea SEYLERI Mechanici, SCHACHERI, LEHMANNI, LEUPOLDI : Halæ Muſeum J. M. HEINECCII : Seeburgi duos lacus vicinos, diſparis plane indolis, quorum unius aqua dulcis, alterius ſalſa eſt (p): Martisburgi præter Rudolphi Imp. inſcriptionem ſepulcralem, amputatamque ejus manum, Bibliothecam Canonicorum: prope Naumburgum Gymnaſium Portenſe ejusque ſupellectilem librariam : Jenæ Bibliothecas Academicam, G. W. WEDELII, & J. A. DANZII : Vinariæ Bibliothecam ac Cimeliarchium Principis, & prope eam civitatem Puſhardum, arcem ſubterraneam (q) : Erfurti Bibliothecas veteris Monaſterii Auguſtiniani, Academiæ & Collegii Amploniani, hancque multis quidem Codicibus MSS. inſtructam, ſed plane neglectam, ac pulvere ſituque ſqualidam : Arnſtadii principalem numiſmatum Theſaurum exquiſitiſſimum, qui hodie Gothano junctus eſt, Muſea item Schlegelii ac Olearii : Gothæ Sereniſſimi Ducis Gazam librariam ac Cimeliarchium, Vo-

(p) vid. Miſcellan. Acad. Naturæ Curioſ. Decad. II. An. VI. p. 212. ſqq.
(q) vid. Ge. AGRICOLÆ Libr. de animantibus ſubterraneis f. 482.

Vockerodtii Bibliothecam, Technophyſiotameum Wermuthi, a quo triplicem cruſtæ margaritariæ conchas adaptandi modum didicit: Reinhardtsbronnæ veterum Thuringiæ Landgraviorum monumenta, Hortlederi ſtudio huc translata: Iſenaci librariam Gymnaſii ſupellectilem, ſatis quidem curtam, rariorum tamen ſcriptorum haud plane expertem, arcemque Wartburg, Lutheri quondam Pathmum: ac tandem Fuldæ memorabilia, in prima hujus ſylloges particula p. 78. ſqq. a nobis deſcripta (r). Pauca jam ex iis, quæ in

f 2 hoc

(r) Iis, quæ de veteri Fulda ejusque inſtructiſſima Bibliotheca ibi dixi, addere hic juvat verba Henr. Leonardi SCHURZFLEISCHII ex ejus Notitia Bibliothecæ principalis Vinarienſis p. 7. ſq. *Fulda benignitate Pipini ac Carolomanni, conſilioque Bonifacii, Moguntini Præſulis, A. C. 744. initium ſumſit, atque Abbatis ſede ornata, præſtantiſſimisque deinde Doctoribus, e Cœnobio Picardiæ Corbejenſi antiquo potiſſimum accerſitis, adaucta & locupletata, florere undiquaque cœpit. Ibi Abbas Rabanus Maurus, Alcuini diſciplinæ quondam alumnus, poſtea Antiſtes Moguntinus, Vir, cui neque Italia tum temporis ſimilem, neque Germania parem habuit, primam cum Hildeberto in Germania Bibliothecam*

hoc itinere Musageta noster observavit, ne nuda tantum eorum recensione lectorem fatigemus, afferre juvat.

Primo omnium Lipsiæ adiit D. Thomam ITTIGIUM, celeberrimi nominis Theologum, & antiquitatum ecclesiasticarum promum condum, cujus nomen, si nihil aliud præclari unquam fecisset, vel soli ejus discipuli, e scholis illius progressi, immortalitati consecrarent, e quibus exempli & honoris causa solum nomino viros beatos, quorum merita in rem sacram

---

cam amplissimam, veterumque scriptorum Codicum multitudine instructissimam, ac brevi post totius Germaniæ celeberrimam, condidit, ipsamque adeo scholam eruditione sua non vulgari illustravit, ut eo, tanquam ad communem bonarum artium officinam, non tam ab extremis finibus Germanos, quam Gallos, Scotos etiam & Britannos, & Italos magno numero confluxisse, edoceamur. Caspar BARTHIUS DAUMIO narravit, sex libros Ciceronis de Republica longe desideratissimos extitisse ante bellum tricennale in Bibliotheca Fuldensi in aliquot voluminibus membranaceis, sed a militum petulantia discerptos, & equis substratos fuisse. vid. D. J. Alb. FABRICII Biblioth. Lat. Vol. II. p. 145.

eram & literariam sunt testatissima, Joannem FRICKIUM, Gottfridum OLEARIUM & Jo. Alb. FABRICIUM, vastissimam suam doctrinam potissimum dexterrimæ ITTIGII institutioni acceptam grata mente referentes. Is licet calculi doloribus laboraret, humanissime Nostrum excepit, & partim ipse, partim, cum nephritici cruciatus prohiberent, famuli eruditi opera eximiam Bibliothecam suam ei perlustrandam dedit. Haud facile uspiam tam pretiosum & vastum Patrum ac historiæ ecclesiasticæ apparatum uno in loco asservari, ac fere nullam, sive veterem, sive recentiorem Patrum antiquorum editionem heic desiderari censuit VFFENBACHIUS.

Ibidem in D. SCHACHERI, eximiæ humanitatis Viri, Museo inter reliqua visu ipsi erat perjucunda integra veluti series embryonum, a trium hebdomadum ætate in nonum usque mensem suo secundum ætatem ordine, instar canalium organi pneumatici, collocatorum, quorum minimi, articuli longitudinem haud æquantes, maxime ei videbantur admirandi, cum in illis omnes jam corporis partes, quanquam non adeo distincte & luculenter ac in majoribus, deprehendantur.

Inprimis ipſum in admirationem rapuit exquiſita plurimorum artis naturæque ſpeciminum copia, quam ei contemplandam mira comitate permiſit D. Jo. Chriſtianus LEHMANNUS, Vir multiplici ſcientia recentibusque inventis inſignis. In tanta autem rerum memorabilium ſupellectile ſummæ illi fuit voluptati ingens nidorum, a varii generis avibus, tam exoticis, quam indigenis, textorum vis, nec ſatis poterat mirari artificium diverſitatemque ſtructuræ & materiarum, e quibus conditi fuere: pleriſque vero, quod ſpectatu jucundum erat, injacebant ova. Animus tum erat eximio illi naturæ indagatori, ipſas etiam, quotquot e vicina regione nanciſci poſſet, colligere aves, easque exenteratas nido quamque ſuo imponere, id quod ad Ornithologiam Saxoniæ concinnandam egregie inſerviturum fuiſſet. Negotium iſtas conquirendi præmiolo conſtituto juvenibus ruſticis dederat, qui ſimul cujusque alitis nomen, locum & tempus nidificii, aliaque hujusmodi ipſi referrent.

Poſt ſalutatos plures alios viros celebriores ſpectatum quoque illi eſt monſtrum humanum bicorporeum, quod in nundinas a muliere Belgica ad corrogandas pecunias delatum erat. Biennio jam abhinc oculis curioſorum ibidem fuerat expoſitum,

tum, ac deinde singulari dissertatione, cui figura hujus monstri ænea præmissa est, a maximi nominis Medico D. Mich. Ern. ETTMULLERO illustratum, e qua & Nostri Ephemeridibus hoc hominum portentum penitius hic cognoscere, lectoribus volupe fore arbitror. Natum erat A. 1701. in Hungaria Szœnii prope Comoram a rustica. Qui primum exitum ex uteri ergastulo molitus est, & ad umbilicum usque prodiit, fœtus, Helenæ nomen nactus, cujus pedes tribus post horis cum altero fœtu, priori adnato, & Juditha vocato, sunt exclusi. Duo hoc monstrum habebat capita, quatuor brachia, totidem pedes, duos truncos: circa finem vertebrarum lumborum utraque sibi corpora cohærebant: inter sinistrum Helenæ & dextrùm Judithæ pedem unus conspiciebatur inter nates duas anus. Inguina nulla monstrabant genitalia, sed carne erant occlusa. In spatio autem inter quatuor pedes intermedio circulus extabat patulus, in quem ex utroque corpore ductus desinebant, per alterum tamen duntaxat, Helenæ nempe, urina ab utroque reddebatur. Quoad reliqua legitimam partes hæ externæ sortitæ erant proportionem. Diversi vero observabantur esse temperamenti binæ sorores, altera lætabunda, tristiori altera existente; mutuo interim se amplectebantur amore, quem

f 4 sæpe

ſæpe oſculis demonſtrabant. Nec utrique unus erat urinam mittendi alvumque exonerandi ſtimulus, ſed egerebantur hæc modo ab uno, modo ab altero corpore. Loquebantur Belgice, Hungarice, Gallice, & aliquantulum Germanice. Utrique non eadem ſemper voluntas, vel idem appetitus ambulandi, vel ad unum locum ſe conferendi, nec quatuor pedes ita erant collocati, ut uno tempore ſimul ad unum eundemque locum properare potuiſſent, ſed uno corpore progrediente, alterum regredi cogebatur: cum vero hæ ſorores mutuo ſe complecterentur amore, una libenter ſequi ſolebat, quo ab altera ducebatur. Sedere haud poterant, ſed a latere nonnihil ad ſedilia ſe acclinabant. Non eadem ſemper utrique erat ſenſibilitas tam quoad res naturales, quam morales: nec uno ſemper eodemque tempore fame vel ſiti ſtimulabantur, vel ad ſoporem ſollicitabantur, vel ægrotabant. Duabus quin monſtrum hoc præditum fuerit animabus, in dubitationem cadere haud videtur.

Halæ convenit D. Jo. Mich. HEINECCIUM, Virum in antiquitatum eccleſiaſticarum & rei præſertim diplomaticæ notitia verſatiſſimum, quem ſingulari morum ſuavitate præditum expertus eſt. Magnam in ejus Muſeo percepit voluptatem ex ingenti

genti pulcherrimorum ſigillorum apparatu, quorum typos cum aliunde, tum præcipue ex Tabulario Corbejenſi curate effinxerat Vir, quem excellenti harum rerum cognitione fuiſſe imbutum teſtatur inſigne opus de veteribus Germanorum aliarumque nationum ſigillis, eorumque uſu & præſtantia. Ab eo quoque didicit modum, ectypa veterum ſigillorum faciendi.

Solebat nempe Noſter, qua erat prudentia præditus, ſi quos in itineribus viros doctos inviſeret, ad cujusque ſe genium accommodare, ſermonisque materiam de illis potiſſimum rebus ſubminiſtrare, in quarum notitia eos excellere noverat, quasque iis adeo cæteris jucundiores fore facile hariolari poterat. Duplex inde in eum redundavit commodum. Primo enim hoc illis nomine acceptior erat, iique iſthoc pacto affabiliores reddebantur; cum, quam quisque novit artem, de ea præſertim animo lubentiſſimo largiorique verborum flumine ſermocinari ſoleat, & magnam præterea vim, recte judicante Tullio, ad conjungendas amicitias ſtudiorum ac naturæ ſimilitudo habeat. Deinde peropportuna hinc ipſi enaſcebatur occaſio, lætiſſima in variis & alioquin abſtruſioribus ingenuarum artium ac diſciplinarum generibus incrementa capiendi, & viva voce ocularique demon-

ſtratione virorum hujus illiusve doctrinæ ſcientiſſimorum addiſcendi, quæ ex libris haud ita luculenter cognoſci poterant. Animo igitur jam ante, quam in peregrinatione ſua viros doctos & artifices adiret, infixerat quæſtiones, dubia vel argumenta, quæ uberius diſcuſſa ac dilucidius a ſingulis explanata cupiebat. Quocirca maximopere ſane expedit liberalium artium cultori, cum fructu peregrinaturo, notitia eximiorum artificum, & virorum variæ doctrinæ laudibus in ſingulis, quas luſtrare conſtituit, civitatibus apprime florentium, ne imparatus accedens præcipuo itineris ſui lucro fruſtretur, & opportunam occaſionem egregia multa videndi cognoſcendique, poſthac non ita facile redituram, ſibi e manibus elabi patiatur. Commendandum hoc nomine, præter Cel. BRUCKERI mei Pinacothecam Virorum hodie literis illuſtrium elegantiſſimam, majorem in modum eſt, quantum quidem ad Virorum noſtro ævo literarum gloria inſignium notitiam ſpectat, inſtitutum, quod Summe Venerabilis Gabr. Wilh. GOETTENIUS ſcite exorſus eſt, elegantis autem ingenii ac doctrinæ Viri Erneſtus Ludov. RATHLEF & J. C. STRODTMANNUS laudabili dexteritate continuarunt, in deſcribenda literata hujus ævi Europa. UFFENBACHIUS itaque cum noſſet, quanta HEINECCIUS rei diplo-

diplomaticæ, ac inprimis, ut cum Vopiſco loquar, ſigillaticæ peritia polleret, quantumque ad fidem diplomatum explorandam & confirmandam ſigilla valerent, multa ex illo de ſigillorum materia, inſcriptionibus, figuris, annectendorum modo, effigiebus, ſincerorum ac ſpuriorum criteriis, aliisque huc pertinentibus ſciſcitatus, magnum ex illo congreſſu fructum retulit.

Laudatus HEINECCIUS tum Halæ prælectiones in rem diplomaticam inſtituere ſolebat, quod ſalutare conſilium ita Noſtro placuit, ut hæc tempora prædicaverit felicia, quibus iſtiusmodi res in Academiis docentur, cum antea nihil facile, niſi quod ad panem lucrandum inſerviret, in cathedris perſonaret. Occupatus inſuper erat in Eccleſiæ Græcæ delineatione adornanda, ac Hiſtoria Marchionum Brandenburgenſium per ſigilla eum in modum illuſtranda, quo VREDIUS Comitum Flandriæ hiſtoriam elucidavit, ad quod inſtitutum multa jam ſubſidia tam e Magdeburgenſi tabulario, quam Berolino, juſſu Regis Boruſſiæ acceperat.

Domum d. XXIII. Jun. reverſus, more Francofurtano menſe Julio ad Schwalbacenſes fontes acidulos abiit, iis, quanquam neceſſitate tum haud flagitante, uſu-

usurus. Vegetus enim ac valens ex itinere redierat, illa soli cœlique mutatione, vectatione, corporisque motu ac animi deliciis ad salubritatem ipsi maxime proficuis. Experientia post edoctus censuit, annuum sine urgentibus caussis acidularum usum esse potius abusum, ac sæpe sanitati plus officere, quam prodesse, cum præsertim raro, qui ad ipsos fontes accedunt, temperatam vitæ rationem diligenter custodiant.

Octavo autem mensis Nov. die una cum Generosissimo Fratre iter, Deo favente, per Saxoniam inferiorem & Frisiam in Belgium & Angliam ingressus est, quæstum doctrinæ majorem capturus, ac thesauri sui librarii incrementa promoturus; cujus itineris luculenta optimæque frugis plena descriptio cum jam sub prælo sudet, præcipua tantum loca, in quibus aliquamdiu incomparabile hoc optimorum Fratrum par, ut Bibliothecas & alia observatu digna enixa diligentia investigarent, Virosque doctos & industrios artifices adirent, diversatum fuit, ac ex Viris, quos salutarunt, celebribus potiores hic nominare visum est. Illa sunt Cassellæ, Goslaria, Clausthalium, Blanckenburgum, Quedlinburgum, Halberstadium, Magdeburgum, Helmstadium, Brunsviga, Guelpherbytum, Salzdahlum, Hildesium, Hanno-

novera, Herrenhuſa, Cella, Luneburgum, Razeburgum, Lubeca, Hamburgum, Stada, Brema, Emda, Grœninga, Lœwarda, Franequera, Harlinga, Bolswertum, Zwolla, Daventria, Harderovicum, Amersfortum, Ultrajectum, Amſterodamum, Lugdunum, Roterodamum, Delphi, Haga Comitum, Harlemum, Londinum, Greenvicum, Cantabrigia, Oxonium, Hamptoni Curia, Kenſingtonium, Woodtſtockium, Richemontium, Duſſeldorpium, Colonia Agrippina.

Ex Viris celebribus, quos hæc nobiliſſima Fratrum biga convenit, nominare ſat eſt Jo. Andream Schmidium, Hermannum von der Hardt, Juſt. Chriſtophorum Bœhmerum, Phil. Jul. Rethmejerum, Jo. Henr. Burckhardum, Godofr. Guil. Leibnitium, Gerh. Molanum, Polycarpum Lyſerum, Henr. Ludolphum Benthemium, Jo. Alb. Fabricium, Jo. Frid. Wincklerum, Jo. Diecmannum, Dietericum von Stade, Michaelem Richey, Gerh. de Maſtricht, Theodorum Haſæum, Jo. Henr. Eggelingium, Alexandr. Arnold. Pagenſtecherum, Menſonem Altingium, Adamum Menſonem Iſingk, Mich. Roſſal, Ant. Schultingium, Campegium Vitringam, Zach. Huberum, Jac. Rhenferdium, Nicol. Gürtlerum, Giſb. Cuperum, Theod. Janſon. ab Almeloveen, Jo. Majerum, Petrum Bur-

Burmannum, Jac. Perizonium, Cornelium van Alkemade, Ant. van Leuwenhoek, Profperum Marchand, Bernardum Piccard, Petrum Valkenier, Wolfh. Senguerdum, Salomonem van Till, Jacobum Gronovium, Phil. Reinh. & Jo. Jac. Vitriarios, Herm. Bœrhaven, Jo. Muffchenbrœk, Thomam Crenium, J. Aymon, Jac. Basnage, Jac. Bernard, Pet. Vlaming, Jo. Guil. van Meel, Tiberium Hemfterhuyfen, Gosw. Uilenbrœck, Jac. Rau, J. de Wilde, Frid. Ruyfch, Jo. Theod. Schalbrug, Jac. Bary, Corn. de Bruyn, Hadr. Relandum, Nic. Hartfœcker, Rich. Bentlejum, J. Flamfteed, Georg. Holmes, Wilh. Wifton, Jo. Hudfon, Th. Hearne, Hans Sloane, Jo. Covel, Georg. Hickefium, Jo. Ern. Grabium, Thom. Teniffonium, D. Ferrarium (s), Jo. Woodward.

Ex tot tantorumque Virorum fermonibus exoptatam Noftro in variis doctrinæ generibus plurimum proficiendi facultatem effe fuppeditatam, quis non agnofcit? In- lu-

(s) Italum in Anglia commoratum, cujus honorificam mentionem facit Cel. Petrus Franc. COURAYERIUS in præfatione Hiftoriæ Concilii Tridentini Sarpianæ, in Gallicum fermonem translatæ, præmiffa, p. XIV. XVI. fq.

luſtrandis inſtructiſſimis, quæ Londini, Oxonii & Cantabrigiæ aſſervantur, Bibliothecis, ac excutiendis earum Codicibus MSS. id ſibi potiſſimum negotii impoſuit, ut eos conferret cum Catalogis, ab Edwardo Bernardo collectis, ſtudioque Humphredi Wanleyi A. 1697. e Theatro Sheldoniano ſplendide evulgatis. Errorum in iis, non ea, qua decebat, accuratione concinnatis, commiſſorum notationibus tantum chartæ, in meis manibus verſantis, complevit, ut ſingulare illæ volumen conficerent (t).

Ipſa autem Noſtri Bibliotheca maximum ex hoc itinere incrementum cepit, cum ſupra quatuor voluminum millia inde reportaverit, id quod ex epiſtola ad Cel. DANZIUM data, & huic noſtræ Sylloges particulæ inſerta, liquet.

Primo quidem animo ſecum conſtituerat, in Collegio quodam Oxonienſi fixam ſibi Muſisque ſuis ſtabilire ſedem; ſed tam victus ratio, quam cœli temperies, ipſi minus commoda, præſertim vero turbidus rerum Anglicarum eo tempore ſtatus, ut conſilium hoc abjiceret, effecere. Martis in-

(t) conf. primam hujus Sylloges particulam, p. 183. & 187. ſqq.

insuper ferocia , in nobilioribus Europæ regnis tum sæviens, literarium in Galliam atque Italiam iter , quod mente agitarat , plane sufflaminavit. Imo divina potius providentia , commodis eum inclytæ Patriæ & rei in Germania nostra literariæ promovendis destinans, ipsum ad natale solum veluti retraxit. Mortalium enim cœtui interea exempto amicorum ejus principe , Viro Amplissimo, Jo. Nicolao SNEIDERO, dicto Smidt, cujus in ædibus habitaverat , librariumque suum thesaurum deposuerat, ac Deo , cujus in manu sors nostra est , sic dirigente, factum est , ut domum A. MDCCXI. sub initium mensis Aprilis redux, Vidua ejus, Matrona omnibus sui sexus ornamentis decoratissima , quamque studium suum bibliothecarium haud remoraturam noverat, mense Julio in matrimonium ducta, in illius thalamum feliciter succederet.

Anno MDCCXVIII. mense Junio animi gratia denuo iter in utrumque Belgium instituit, dulcissima conjuge & generosissimis Fratribus ac Affinibus cum privigno eum comitantibus. En tibi, quæ ipse amicissimo MAIO suo in literis ad eum decima Septembris die exaratis de hoc itinere exposuit: „Pollicitus nuper sum, me itineris „peracti fata descripturum,quod, antequam „ad ultimas tuas respondeam, præstandum „vide-

„videtur. Aſt paucis me expediam. Ne-
„que enim navigationis Coloniam uſque
„amœnitatem, neque ſubortam poſthæc,
„quam bis experti ſumus, Neptuni in nos
„iracundiam, neque enatas inde fœminei
„ſexus querelas explicabo minime jucun-
„das. Nec jocos, facetias atque delicias,
„quibus tempus fallere, ac itineris mole-
„ſtias ſuperare læta noſtra ſocietas ſtuduit,
„referam; parum enim ſalis nunc haberet
„talis relatio. Non etiam ſitus utriuſque
„Belgii amœnitatem, Urbium magnitudi-
„nem, ædificiorum magnificentiam, ho-
„minum mores, partim ſatis agreſtes atque
„ridiculos, rerum omnium his in oris af-
„fluentiam, memorabiliumque, quæ vidi-
„mus, multitudinem prolixe deſcribam.
„Hæc enim omnia tibi cognita ſcio, ac
„parum te juvare poſſe autumo. Litera-
„ria nova, quæ ſcilicet in Bibliothecis ac
„officinis librariis viderim, quæque ex o-
„re atque colloquiis Eruditorum didicerim,
„magis tibi arriderent, majori etiam cum
„voluptate a me deſcriberentur. Aſt, ut
„jam nuper dixi, neque ipſa itineris, rela-
„xandi atque recreandi animi cauſa potiſ-
„ſimum inſtituti, ratio, neque ſocietatis,
„quam inieram, ſeria abhorrentis nexus,
„nec denique feſtinatio ubivis locorum
„nimia permiſit, ut meo in rem literariam
„ardori ac doctos viros inviſendi deſiderio
„ſatisfacere potuerim, nec tuæ nunc,

„quam bene novi, cupiditati satisdare „queam. Me quidem solabatur, quod pri- „mis duabus vicibus, dum in fœderato „Belgio versabar, omnes fere Bibliothecas „ac Musea perreptaverim, ac, quicquid „est doctorum Virorum, convenerim. „Hinc, cum regium attingebamus Belgi- „um, quod nondum peragraveram, quan- „tum potui, e societate me subduxi, Mu- „sasque, ringentibus licet ac opprobranti- „bus Gratiis meis, sectatus sum. Biblio- „thecæ præstantiores, quas offendi, ad „Lojoliticam Societatem spectant, quarum „ea, quæ Lovanii est, splendore atque „numero, Antwerpiensis vero librorum „historicorum ac MSStorum inprimis præ- „stantia antecellit. Copiam Codicum e- „orum, qui Acta Sanctorum collegerunt, „studium atque industria huic invexisse pu- „to. Rariores alias esse solent apud Jesui- „tas libri veteres, manu inprimis exarati. „Magnam sane horum apud Antwerpien- „ses farraginem vidi, eorum potissimum, „qui ad martyrologicum studium facere „possunt. Cum eximium, quem mea „Bibliotheca servat, Codicem martyrolo- „gicum (u) iis, qui continuandis Actis in-

(u) De hoc immensæ magnitudinis Codice membranaceo, sæculo XIII. vel certe XIV. exarato vid. Bibliothecæ Uffenba-

„insudant, obtulerim, spes mihi est, me „quorundam ex iis, quos possident, co„piam nacturum. R. P. du SOLLIER, „cui præcipua operis cura demandata est, „excepit me benignissime, ac summa cum „humanitate Bibliothecam monstravit, qua „divina clementia in horrendo Templi in„cendio, utpote Ecclesiæ contigua, serva„ta, Fratres impense gaudent. Plura de „hac Bibliotheca ac rarioribus, quæ in il„la observavi, narrarem, si angusti epi„stolæ limites finerent. Officinas librarias „in utroque Belgio instructissimas esse, quis „ignorat? Miratus tamen sum, me in re„gio tantam librorum historicorum copi„am invenisse. Cessit vero admiratio, po„steaquam mecum reputavi, studia histo„rica, præprimis genealogico-heraldica, „his in terris semper floruisse, adeo, ut „Reges Armorum ac alia officia heraldica, „ut in Anglia, semper habuerint. Tu „vero facile intelligis, quanta me coemen„di cupiditas incesserit. Miraberis autem „tu quoque, quod eam ita represserim, ut „nonnisi duos typis exscriptos emerim. „Deterrebant tum locorum distantia, tum „vero graves, qui in itinere, cum non „solum pro memetipso, sed etiam pro „Uxore ac Filio solvendum ubivis fuerat,

g 2 fa-

bachianæ MS. Part. IV. col. 36. sqq.

„faciendi erant ſumtus. Manu vero exara-
„tos Codices quod attinet, temperare mi-
„hi non potui, quin plurimos comparave-
„rim. Putabis, veteres quoque tum Græ-
„cos, tum Latinos inter iſtos fore. Aſt
„ne unicum quidem, ita me Dii ament,
„offendere potui, licet omnem, quod in
„proverbio eſt, lapidem moverim, ut ali-
„quos nanciſcerer. In Monaſteriis ſepul-
„tos latere credebam, ſed bellis tum in-
„ternis, tum externis ingentes horum
„theſauros periiſſe, aſſerebant cordatiorum
„plurimi. Lætus igitur atque contentus
„ſum ſpoliis, quæ reportavi, hiſtorico-
„genealogicis, quæ oculis tuis, Amice
„chariſſime, quam lubentiſſime expone-
„rem, ſi, quod vellem, ſpreto rure ac
„Nymphis campeſtribus, noſtras Muſas
„ac nundinas inviſere velles „. Eximii
illi Codices, quos ex hoc itinere repor-
tavit Muſageta noſter, recenſentur in Bi-
bliotheca miſcellanea, Halæ quondam e-
dita (x).

Ita nimirum ſua inſtituere itinera ſole-
bat, ſicuti magnus ille THUANUS, in-
ter principes hiſtoricos merito ſuo refe-
ren-

(x) *in dem XII. Stücke der vermiſchten Bibli-
othec*, p. 1078. ſqq.

rendus, de quo Josephus Quesnel (y): *Cum paulatim jam illud nobile congerendæ Bibliothecæ propositum in animo haberet, eo omnes suas cogitationes conferebat, etiam in sua non otiosa peregrinatione, quam propterea suscepisse videtur, ut ex Bibliothecis, quas videbat, sibi suæ futuræ exempla peteret, ita, ut, dum quisque, ad quam urbem pervenisset, lustrandum discurreret, Thuanus librariorum apothecas vestigaret. Inde magnam librorum, qui apud nos rariores, copiam sibi comparavit apud Italos, Germanos & Batavos.*

Præterea amicum cum Viris doctis ac celebrioribus literarum commercium instituit, atque hoc etiam medio & Bibliothecam & doctrinam suam luculenter in dies amplificavit, lætatus isthac ævi nostri felicitate, qua epistolæ ac fasciculi commode & celeriter ad loca, etiam longo intervallo a nobis sejuncta, per cursores & veredarios publice constitutos perferri possunt, cum sæculo decimo quinto, ac decimi sexti initio res longe aliter comparata fuisset, testantibus id Virorum clarorum querelis, passim in eorum epistolis obviis. Diligentissimus vero fuit in hoc

(y) in præfatione Catalogi Bibliothecæ Thuanæ, Lutetiæ Paris. A. 1679. in 8. typis excusi, p. 7.

literarum commercio, ſive quis lingua Latina, ſive Gallica, ſive Germanica ad eum ſcripſerit, ſingulis eodem ſermone, idque elegantiſſime & cum multo ſæpe variæ eruditionis apparatu reſpondens: nec piguit eum majoris ἀκριβείας gratia primam epiſtolarum ab ſe ſcriptarum formulam plerumque penes ſe ſtudioſe ſervare, & cum amicorum literis, temporis ratione habita, in certa volumina cogere, qualia mihi ex legato optimi Mæcenatis præſto ſunt unum in folio, & novendecim in quarti ordinis forma, eaque ſatis ſpiſſa, & exquiſita eruditione ſcatentia.

Complectuntur autem, ſi noſtri etiam Muſagetæ reſponſa ad calculos una voces, ſupra quinque epiſtolarum millia. Locuples certe variæ doctrinæ promptuarium, imo incomparabilis omnis rei & hiſtoriæ literariæ, noſtri potiſſimum ſæculi, theſaurus, quo me ex Viri Optimi liberalitate potitum, in maxima felicitatis parte gratus pono. O quam mihi ſæpe, animum aliis laboribus nonnihil defeſſum refocillaturo, dulce eſt, me veluti præſentem immiſcere literatis hiſce Virorum doctiſſimorum cum VFFENBACHIO meo colloquiis, & uberrimos inde variæ eruditionis fructus percipere! Quem enim non delectent, ut verba elegantiſſimi Vincen-

centii FABRICII (z) paulum immutata mea faciam, familiares isti, & quasi a præsentibus habiti virorum maximorum sermones: quorum imago est epistola? quantum ibi jocorum? quantum etiam querelarum? quantum optimi salis? quantum quoque dulcissimi mellis? Quanta rerum erudite excussarum, quanta consiliorum, quanta arcanorum literariorum copia? An non te felicem crederes, si liceret annos aliquot conversari cum Passioneis, Senkenbergiis, Pfaffiis, Moshemiis, Heumannis, Kœleris, Gesneris, aliisque nostri fæculi luminibus: vel saltem literatissimis eorum colloquiis interesse? Jam vero talium epistolæ cum iis nos conjungunt dulci quodam contubernio: nos instruunt, nos mirifice exhilarant. Avebis haud dubie, lector candide, nosse, quibusnam potissimum tam suave cum Nostro Mæcenate intercesserit literarum commercium. En ergo tibi plerorumque nomina, alphabetica serie dispofita. Sunt autem Jo. Henr. Ackerus, Simon Joan. Arnoldus, Petr. Frid. Arpe, Christ. Frid. Ayrmannus, Jo. Jac. Bajerus, Jo. Henr. Balthasar, Jo. Henr. Barthius, Henr. Jac.

(z) conf. ejus opera junctim a Friderico Fabricio filio Francof. & Lipf. A. 1685. in 8. edita p. 246.

von Bashuyſen, Jo. Alb. Bengelius, Jo. Herm. Bennerus, Jo. Ad. Bernhardus, Jo. Frid. Bertramus, Frid. Jac. Beyſchlagius, Jo. Jac. Bodmerus, Juſt. Chriſtoph. Bœhmerus, Ludov. Bourguetus, Boyet, Ser. Principis Eugenii de Sabaudia Bibliothecarius, Jo. Jac. Breitingerus, Jac. Bruckerus, Franc. Ern. Brückmannus, Jo. Ludolph. Bünemannus, Jo. Henr. & Jac. Burckhardi fratres, Jo. Steph. Burgermeiſter, Wolfg. Paul. Burgermeiſter von Deyziſau, Jo. Chriſtianus Clodius, Jo. Chriſtoph. Colerus, Gottl. Cortius, Jo. Dan. Cramerus, Matur. Veiſſier la Croze, Magnus Cruſius, Ern. Sal. Cypriani, Jo. Andreas Danzius, Raymundus Duellius, Gabriel Dumontius, Jo. Georg. Eckardus, Jo. Georg. Eſtor, Jo. Alb. Fabricius, Rud. Ant. Fabricius, Jo. Leonh. Frœreiſen, Jo. Herm. Fürſtenau, Jo. Benedictus Gentilott ab Engelsbrun, Ephraimus Gerhardus, Jo. Matthias Gesnerus, Jo. Ern. a Glauburg, Jo. Zach. Gleichmann, Jo. Wilh. de Gœbel, Jo. Dan. Gruberus, Valent. Ferd. de Gudenus, Jo. Tob. Hagelgans, Mich. Gottl. Hanſchius, Jo. Chriſtoph. Harenbergius, Chriſt. Frid. Harpprecht, Jo. Adolph. Hartmannus, Theodorus Haſæus, Eberh. Dav. Hauberus, Jo. Mich. Heineccius, Laur. Heiſterus, Jo. Jac. Helfferich, Chriſtoph. Aug. Heumannus, Chriſtian. Henr. Hillerus,

Jo.

Jo. Conr. Hofmannus, Jo. Frid. Homberg, Philibertus Hueberus, Casp. Jac. Huth, Petrus Jænichius, Georg. Christianus Joannis, Car. Steph. Jordanus, Jac. Christoph. & Jo. Rud. Iselii, Jo. Frid. Kayserus, Jo. Dav. Kœlerus, Jo. Petr. Kohlius, Raymundus Krafft de Dellmensingen, Jo. Philipp. Kuchenbeckerus, Christoph. Aug. Læmmermannus, Jo. Christian. Langius, Georg. Christian. Lehms, Jo. Lehnemannus, Jac. Lenfant, Frid. Christian. Lesserus, Chr. Siegm. Liebe, Jo. Georg. Liebknecht, Mich. Lilienthal, Val. Ern. Lœscherus, Paul. Dan. Longolius, Jo. Georg. Lotterus, Georg. Melch. de Ludolf, Jo. Christian. Lunigius, Polycarpus Lyserus fil. Jo. Henr. Majus Pater & Filius, Jo. Casp. Malschius, Henr. Wilh. Marschalch, Jo. Jac. Mascovius, Jo. Godofr. de Mejern, Jo. Burch. & Frid. Otto Menckenii Pater & Filius, Gerh. Meuschenius, Lud. Christian. Miege, Jo. Henr. Mollenbeccius, Jo. Laur. Moshemius, Jo. Jac. Moserus, Jo. Ern. Müllerus, Christian. Münden, Georg. Lud. Oederus, Jo. Dan. Olenschlagerus, Jo. Bapt. Ottius, Jo. Georg. Palm, Dom. Passionei, antehac Archiep. Ephesin. & Pontificis Rom. apud Augustiss. Rom. Imp. cum Facultate Legati de Latere Nuncius, hodie Rom. Eccl. Cardinalis, Jo. Wilh. Petersenius, Bern. Pezius, Car. Frid. Pezoldus, Christoph. Matth.

Pfaffius, Ern. Mart. Plarre, Car. Otto Rechenbergius, *Jac.* Frid. Reimmannus, Euchar. Gottl. Rinckius, *Jo.* Frid. Lib. Baro de Roth, Confil. Imp. Aulicus, Henricus II. Comes Ruthenus, *J.* C. Santoroc, *Jo.* Frid. Schannatus, Gottfr. Balth. Scharffius, *Jo.* Georg. Scherzius, Chriſtian. Schlegelius, *Jo.* *Jac.* Schmauſſius, *Jo.* Andr. Schmidius, *Jo.* Herm. Schminckius, Dan. Schneiderus, *Jo.* Diet. de Schœnberg, *Jo.* Henr. Schrammius, *Jo.* Conr. & Chriſtian. Gottl. Schwarzii, *Jo.* Henr. a Seelen, Henr. Chriſtian. nunc Lib. Baro de Senckenberg, Conſ. Imp. Aulicus, Georg. Serpilius, Georg. Conr. Siglerus, *Jo.* Bapt. du Sollier, Car. Otto Comes Solmenſis, *Jo.* Wilh. Steinheil, *Jo.* Phil. Storrius, Burc. Gotth. Struvius, *Jo.* *Jac.* Syrbius, Frid. Thom, Gottl. Sam. Treuerus, Mich. Bernh. Valentini, *Jo.* Mich. Verdries, Godofr. Vockerodt, *Jo.* *Jac.* Waldſchmid, *Jo.* Georg. Walchius, Georg. Wallinus, Imman. Weberus, G. W. Comes de Werthern, Ægid. Weiſſius, *Jo.* *Jac.* Wiegerus, Chriſtianus & *Jo.* Chriſtoph. Wolfii, Andr. Chriſtoph. Zellerus, *Jac.* Zimmermannus, *Jo.* Ehrenfried Zſchackwiz.

Rerum quoque naturalium ac artificialium congeriem adornare ſibi aliquando propoſuit, ad exemplum Olai WORMII, ali-

aliorumque naturæ myſtarum , artisque miratorum varii generis foſſilia , vegetabilia , animalia, & artificioſa e terris , ſuccino, lapidibus, auro, argento, ære , ferro , vitro , plantis , lignis , fructibus , & animalibus elaborata in Muſeum ſuum conquiſiturus , ut jucunda hac rerum pulcherrimarum ac rariſſimarum varietate non tam oculos , quam mentem , naturæ artisque ſcrutandæ cupidiſſimam , paſceret, & , quantum pote , in ſecretiora utriusque adyta penetraret , ſed hoc etiam pacto aliorum curioſorum aviditati feliciter ſuccurreret. Verum cum jam egregia hujusce Technophyſiotamei fundamenta jeciſſet , animadvertens , ſi hoc inſtitutum eo , quo omnia agere ſolebat , fervore proſecuturus eſſet , ſumtibus in id erogandis haud parum ſufflaminatum iri incrementa ſupellectilis literariæ , cujus ſolerter adaugendæ curam omnibus aliis rebus anteponebat, ſuſceptum hoc conſilium, quantumvis invitus , iterum depoſuit, ratus , ultra privati hominis ſortem eſſe , bibliothecæ plurimis libris & codicibus MSS. inſtruendæ , ac promtuario hujusmôdi rerum locupletando ſimul operam ſumtusque impendere. Nam in mediocribus ſubſiſtere non poterat ingens ejus animus. Regiis ergo divitiis fuiſſet opus, ſi utrumque more ſuo perſequi viſum eſſet. Hinc alterum illud conſilium abjice-

re

re maluit, ac propterea *Jo.* Martini Waldſchmidii, actorum publicorum conſignatoris & Bibliothecarii Francofurtani, apparatum rerum naturalium (a) haud contemnendum, in quo conchylia præſertim eminebant, & quædam inſuper antiquitatis monumenta aſſervabantur, licet æquo ſibi pretio A. MDCCVI. oblatum, emere renuit.

Eadem de cauſa A. MDCCXXV. Numophylacium quoque ſuum, quod hactenus ſtrenue locupletaverat, nummisque ex omni metallo & genere inſtruxerat, Theologo Tigurino, *Jo.* Baptiſtæ OTTIO, pro plus quam centum Codicibus MSS. maximam partem ad hiſtoriam Helvetiæ civilem & eccleſiaſticam ſpectantibus, permutationis jure conceſſit, a quo illud deinde in Angliam ad filium *Jo.* Henricum OTTIUM, Bibliothecæ tunc Lambetanæ Præ-

(a) Muſeum ejus omni amœnitatum elegantiarumque genere exornatiſſimum vocat, eumque ipſum conchyliorum ſuorum accuratam deſcriptionem literis conſignaſſe teſtatur Rud. Mart. Meelführerus in Acceſſionibus ad Almeloveenii Bibliothecam promiſſam & latentem p. 152.

Præfectum, pervenit. Egregiam vero supellectilem antiquariam (b), in itineribus sollicite conquisitam, in Bibliothecæ suæ ornamentum asservavit.

Rei autem diplomaticæ cum studiosissimus esset, A. MDCCXI. ad exemplum supra laudati HEINECCII & Ge. Conradi SIEGLERI (c), antea Principi Abbati Fuldensi, post Episcopo Herbipolitano a Secretis & Tabulario, Sigillothecam adornavit, acceptis primo non paucis tam e Fuldensi Tabulario, quam beneficio Viri Illustris, sibique amicissimi, *Jo.* Ernesti a GLAUBURG, harum rerum callentissimi, veterum sigillorum ectypis. Expertus vero sæpe cum indignatione est eorum, qui tabulariis custodes dati sunt, invidiam, quorum multi hasce prisci ævi reliquias pulveri potius, blattisve & internecioni, quam bonorum usibus permittere malunt.

Præterea cum jam eximia instructus esset variorum diplomatum copia, eorumque magnam

(b) Index ejus exhibetur in Appendice I. Tomi II. Bibliothecæ Universalis Vffenbachianæ.

(c) vid. *Second Voyage litteraire de deux Religieux Benedictins de la Congregation de S. Maur*, p. 176.

magnam in omni hiſtoria utilitatem agnoſceret, rei ſe diplomaticæ ſtudio totum dedidit. Aggreſſus illud forti animo eſt, munitus jam iis ſubſidiis, quæ MABILLONIUS aliique docta manu ſuppeditant. Sed quo magis fauſto & inoffenſo pede in illo progredi poſſet, ſcripturamque veterem ſibi familiariorem redderet, in priſcis tabulis codicibusque manuſcriptis legendis ſe ſtrenue exercitavit, ac tam diplomata calamo exarata cum exemplaribus jam publicatis, quam varios Codices antiquos cum editionibus præſtantiſſimis operoſe contulit, e quibus jam exempli cauſa nomino Hieronymi Epiſtolas, Auguſtini opus de Civitate Dei, Gregorii M. Moralia in Iobum, ejusdemque Dialogos & commentarium in Canticum canticorum (d). Ex iſthoc autem labore, gravi quidem ac tædioſo, eum cumprimis percepit fructum, ut inde ſcripturæ veteris compendia, in diplomatibus ac codicibus creberrime obvia, eorumque lectionem difficilem ſatis ac impeditam facientia, eruere, ac cognita ſibi reddere didicerit. Neminem enim facile paulo humaniorem fugit, quam fœcunda errorum mater ſit compendiaria veterum codicum atque diplomatum ſcriptura, utramque in iis paginam fa-

(d) conf. hujusce Sylloges Part. I. p. 180.

faciens : recteque annotavit (e) Joannes CLERICUS, librarios sive ex festinatione, sive ex prava consuetudine, pro integris vocibus aut earum initium duntaxat puncto addito scripsisse, aut syllabas in media voce omissas, imposita lineola, supplevisse, aut etiam nullum compendiariæ scriptionis indicium addidisse : hincque factum sæpe esse, ut librarii, aut etiam Critici, qui ea compendia non assequebantur, male, quod deerat, suppleverint, aut integrum putarint, quod mutilum erat. Id vero non in manuscriptis solum codicibus, sed diplomatibus etiam usu venit. Et multi sane errores, iique crassissimi, fuissent evitati, neque tantæ difficultati veterum monumentorum lectio foret obnoxia, si librarii ac scribæ omnis ævi in diplomatibus & codicibus exarandis id sollicite observassent, quod *Justinianus* Imp. in describendis Institutionibus, Digestis & Codice fieri graviter his verbis (f) mandavit : *Ne autem per scripturam in posterum fiat aliqua dubitatio, jubemus non per siglorum captiones & compendiosa ænigmata,* *quæ*

(e) Artis Criticæ P. III. S. I. C. XII. p. m. 164.

(f) in præf. Digest. Tit. I. de Digg. conceptione ad Tribonianum §. 13.

quae multas per se & per suum vitium antinomias induxerunt, ejusdem Codicis textum conscribi, etiamsi numerus librorum significatur, aut aliud quidquam; nec enim per specialia sigla numerorum manifestari, sed per litterarum consequentiam explanari concedimus. Sed contrarium ubivis in medio præsertim ac infimo ævo inolevisse nemo ignorat, nisi qui plane nullum manuscriptorum usum unquam habuit. Observat peritissimus alias harum rerum arbiter, Bernhardus MONTFAUCONIUS (g), decimo quinto demum sæculo, cum literarum studia reviviscerent, Latinæque linguæ usus, jam diu vitiata externisque vocibus fœdata pristina illa sinceraque elegantia, ab hominibus prisci saporis in primigenium statum sensim reduceretur, literarum sortem sequutam esse scribendi et libros exarandi rationem, quæ in perplexam, infinitisque abbreviationibus implicatam characterum figuram deflexerat, ante exortum typographiæ in pulcriorem exarandi libros ritum deductam, & ad normam codicum octavi & noni sæculi, modico intercedente discrimine restitutam, innumerosque ejus formæ codices, curantibus maxime Laurentio & Cosma Medicis, aliisque per Italiam Principibus (addo, et Matthia Corvi-

(g) Diar. Itineris Ital. Cap. XXI. p. 313.

Corvino, Pannoniæ Rege, Musis faventissimo) conscriptos fuisse. Adiicit MONTFAUCONIUS, sub hæc exortam typorum artem ex hujusmodi codicibus exemplum cudendi mutuatam esse. Sed hæc non ita generatim accipienda sunt, ac si illa scribendi ratio, tot vocum compendiis implicata, plane tum in exilium pulsa et antiquata fuerit. Contrarium enim manifeste docent tot diplomata, ac plurimæ ejus ævi librorum editiones, in ipsa etiam Italia curatæ, quæ vocum abbreviationibus scatent, lectionemque injucundam et minus facilem reddunt. Optima autem, si quid judico, et convenientissima fuit methodus, qua Vffenbachius usus est ad compendiariam illam diplomatum scripturam enucleandam, conferens nempe diligenter diplomata et codices manuscriptos cum limatissimis editionibus, atque hac ratione, quæ implicatiora erant, vocum compendia haud difficulter eruens, quæ deinde in peculiarem librum retulit, ac paulatim multa eorum millia congessit, inque diplomatum lectione, sicubi quædam hujusmodi intricatiora sibi occurrerent, ad hanc suam abbreviationum enucleatarum syllogen refugit.

Nondum enim prodierat Lexicon diplomaticum, abbreviationes syllabarum et vocum in Diplomatibus et Codicibus, a

ſæculo VIII. ad XVI. uſque occurrentes exponens, Viri in hoc ſtudiorum genere exercitatiſſimi, Jo. Ludolphi WALTHERI, opus ſplendidum, ætatemque laturum, et Germaniæ noſtræ perhonorificum.

Cum diplomatum, in forma auguſta et patenti ſcriptorum, lectio hoc nomine etiam ſit difficilior ac moleſtior, quod propter ſuam latitudinem lineis conſtent longiſſimis, adeoque proclivis ſit error, ut una vel altera linea inter legendum aut deſcribendum prætermittatur; ſolenne fuit Noſtro, ad hoc præcavendum, lectionemque minus impeditam reddendam, tribus viridis coloris panniculis uti, quorum unum lineæ illius, quam præ oculis habebat, initio, alterum ejus extremitati appoſuit, tertium vero lineæ medio impoſuit, et, hac legendo deſcribendove abſoluta, tres illos panniculos ulterius ad ſequentem lineam eadem ratione dimovit, ſicque ſibi facile ab errore et hiatu cavit.

In hac utiliſſima exercitatione cum ſtrenue verſaretur, facile quivis, qui Vffenbachium bene novit, arbitrari poteſt, longe blandiſſima animum ejus titillari ſolitum voluptate, cum quædam diplomata authentica, in hiſtoria uſum habitura ſuum, nondumque publici juris facta, indipiſci

pifci licebat. Læta enim hinc non ipfe tantum in hiftoriarum cognitione ac rei diplomaticæ ftudio, fibi tam grato, capiebat incrementa, verum iis etiam egregia aliorum promte juvare poterat inftituta, literato orbi profutura, Vir, qui literis promovendis totum fe confecraverat. Sed nec archetypa eorum exempla renuebat, quæ ab aliis jam in lucem emiffa fuerant, fi præfertim magni momenti effent: experientia edoctus, induftriam illorum collationem cum exemplaribus editis multum adjumenti ad faciliorem veterum diplomatum et Codicum lectionem, ad tortuofos literarum vocumque ductus explanandos, ad intricata verborum compendia enodanda, adque diverfos pro fæculorum diverfitate fcriptionis modos cognofcendos præftare, ac præterea ad edita, fi forte vitiofe defcripta, et male lecta fuerint, emendanda, aut, fi caftrata vel interpolata fint, integritati fuæ reftituenda fæpe maxime conducibilem effe.

Laborem vero, rei diplomaticæ impenfum, fatis fuperque compenfabat infignis utilitas et felix profectus in ftudio hiftoriæ, genealogiæ, geographiæ medii ævi, doctrinæ heraldicæ, antiquitatum, juris publici, feudalis et ecclefiaftici, ac artis criticæ. Reddebantur ipfi fenfim frequenti diplomatum tractatione familiaria Impera-

ratorum Regumque monogrammata, ſigilla, variæ temporum notæ, Archicancellariorum et Cancellariorum nomina, palatia medii ævi publica, regiæ curtes, villæ, pagi, aliaque.

Sedulo autem hoc ſtudium, inſigni ejus utilitate captus, continuavit, cumque felici auſpicio ingentem diplomatum vim coegiſſet, animus ipſi erat, aliquando BIBLIOTHECAM DIPLOMATICAM VFFENBACHIANAM publici juris facere, in qua omnia diplomata, quorum ei copia erat, tam manu exarata, quam in variis libris ſuæ bibliothecæ impreſſis paſſim diſperſa, ſerie pariter chronologica ac ſecundum ſua argumenta diſpoſita recenſerentur. Sed dolendum eſt, huic et aliis eximiis Viri optimi conſiliis et conatibus præter negotiorum publicorum molem, ipſius humeris deinceps impoſitam, tam bibliopolarum moroſitatem, quam prævmaturum ejus ac Reipublicæ literariæ funeſtum obitum interceſſiſſe.

Jacturam vero hanc feliciter reſarſit clariſſimi nominis Vir, Petrus GEORGISCH, cujus laudabili diligentiæ accepta ferimus Regeſta Chronologico-Diplomatica, in quibus recenſentur omnis generis monumenta et documenta publica, quæ ſingula in ſummas ille ſuas contraxit,
juxta

juxta annorum dierumque, quos præferunt, feriem digeffit, temporifque fubnotationes medii ævi more expreffas cum noftro computandi modo compofuit.

Has aliasque opes literarias tanto Nofter congeffit ardore atque fucceffu, nullis parcens fumtibus, ut ejus Bibliotheca illo tempore pauciffimas inter privatas habuerit pares, Codicum vero manu exaratorum ac librorum prohibitorum copia haud plerasque tantum noftri & fuperioris ævi, quod mihi quidem conftet, privatas, fed et multas publicas fuperaverit. Numerus enim Manufcriptorum ad duo fere voluminum millia afcendit. Ne quid dicam de infigni apparatu librorum, manu Clarorum Virorum vel collatorum, vel emendatorum, vel annotationibus illuftratorum, quos Morhofius, dexterrimus, fi quis alius, harum rerum æftimator, Manufcriptis accenfendos judicavit (h), quorumque propemodum quadringentos in Bibliothecam fuam mira felicitate intulit. Epiftolarum vero ineditarum fupra duas myriadas, divitem profecto reconditarum rerum thefaurum, aufpicatiffima induftria conquifivit, quas præftantiffimus Hamburgenfium Theologus, Jo. Chrifto-

 pho-

(h) in Polyhift. liter. Lib. I. Cap. VII. p. 64.

phorus WOLFIVS docte recensuit (i), qui hanc inæstimabilem gazam æquo sibi pretio post placidam Nostri mortem vindicaverat.

Magnus ille Josephus SCALIGER ad Bibliothecam, quam consummatam dicere fas sit, sex spatiosa requiri conclavia censuit (k). *Pour une parfaite Bibliotheque il faudroit avoir six grandes Chambres.* Noster, licet Bibliothecam suam omnibus numeris haud absolutam esse libens fassus sit, ac multa adhuc desideraverit, octo conclavia, interque hæc quatuor satis ampla, libris Codicibusque calamo exaratis repleta habuit, quorum conspectum, scita Generosissimi Fratris manu delineatum, ærique incisum, nostræ de studio beati Viri bibliothecario commentationi adjungemus.

Non

(i) in Conspectu Supellectilis epistolicæ et literariæ manu exaratæ, quæ apud eum, dum viveret, exstitit, post beatum vero ejus obitum cum omni illius opulentissimo apparatu librario in Perill. Reip. Hamburgensis Bibliothecam transmigravit.

(k) vid. Scaligerana, cum Thuanis, Perronianis, Pithœanis et Colomesianis a Des Maizeaux junctim Amsterodami A. 1740. edita, Tom. II. p. 237.

Non autem in horum duntaxat conclavium ornamentum , vanamque pompam tantum librorum apparatum ſollicite Muſageta noſter collegit, ſed in ſuum potius aliorumque φιλομούσων uſum. Inſitus ille literarum a primis crepundiis amor, et inexhauſta legendi aviditas tantum in eius pectore incenderat ardorem , ut ſua jure potuerit facere Juliani Imp. verba (l):

Ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων,
Ἄλλοι θηρίων ἐρῶσι, μοὶ δὲ βιβλίων
κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε
πόθος.

Alii quidem equos amant , alii aves , alii feras ; mihi vero a puerulo mirum acquirendi et poſſidendi libros deſiderium inſedit. Eadem ipſi mens fuit, quæ Franciſco quondam Petrarchæ, ſtrenuo illi bonarum literarum in media barbarie ſtatori atque vindici, ita de ſe ad fratrem Gerardum ſcribenti (m): *Una inexplebilis cupiditas me tenet , quam frenare hactenus nec potui , nec certe volui. Mihi enim in-*

h 4

(l) vid. Socratis Hiſtor. eccleſ. Lib. III. Cap. I.

(m) vid. ejus Epiſtolas familiar. L. III. p. 107. ſq. edit. Lugd. A. 1601. in 8.

interblandior, honestarum rerum non inhonestam esse cupidinem. Expectas audire morbi genus? Libris satiari nequeo, et habeo plures forte, quam oportet. Sed sicut in cæteris rebus; sic in libris accidit; quærendi successus avaritiæ calcar est, quinimo singulare quiddam in libris est. Aurum, argentum, gemmæ, purpurea vestis, marmorea domus, cultus ager, picta tabula, phaleratus sonipes, cæteraque id genus, mutam habent et superficiariam voluptatem: libri medullitus delectant, colloquuntur, consulunt, et viva quadam nobis atque arguta familiaritate junguntur. Neque solum sese lectoribus quisque suis insinuat, sed et aliorum nomen ingerit, et alter alterius desiderium facit. -- Nemo ergo mirabitur, vehementer his animos inflammari atque configi, quorum singula suas scintillas, suosque aculeos palam habent, aliosque clanculum in sinu gestant, quos sibi invicem subministrant.

Nullo igitur in loco jucundius versabatur, quam in Bibliotheca sua, optimis in omni doctrinæ genere circumfusus libris. In illis amœnissimis recessibus, ubi Musæ Charitesque sessitabant, hilares traducere horas, quibusvis aliis deliciis longe præferebat. Hoc sapientiæ sacrarium alacri pede intrans, poterat Dan. HEINSII, illius Gratiarum corculi, verbis uti: *Quoties Bibliothecam ingredior, toties triumphare soleo, non imperatorio habitu cum armillis aut lauro, nec sequente militum manu, sed astante tot illu-*

lustrium ingeniorum exercitu, quorum nomina immortalitati consecrata sunt, astante omnis aevi, omnium saeculorum populo, qui aut Graece, aut Latine, aut quocunque literarum genere aliquam sapientiae partem coluerunt.

Non autem sibi soli servabat cimelia sua, tanto studio tantisque sumtibus undique conquisita, verum, uti erat ad literas ornandas natus, omnibus bonis communia esse voluit. Toto enim cœlo discrepabat optima ejus indoles ab illaudabili Euclionum tenacitate, qui opes suas avidissime corrasas nemini prodesse cupiunt. Sed communi bono dicata erat omnis ejus literata gaza: cuivis strenuo Musarum cultori patebant ejus thesauri, sive indigenæ, sive advenæ: nulli honesto aditus eorum intercludebatur. Tanta vero erat et Bibliothecæ illius et humanissimi Possessoris ubique celebritas, ut ex doctis peregrinis Francofurtum non vidisse existimaretur, qui VFFENBACHIUM ejusque instructissimam Bibliothecam haud viderat. Utriusque laudes cecinere, qui in itineribus suis magna facilitate in illustre hoc Musarum domicilium fuere admissi, Viri nominatissimi, Carolus Stephanus JORDANUS(n), et Jo. Georgius KEYS-

h 5 LE-

(n) vid. Ejus *Histoire d' un Voyage litteraire, fait*

LERUS (o). Secundæ itineris sui literarii parti p. 175. sq. Edmundus MARTENE ac Vrsinus DURANDUS, Viri doctissimi, fragmenta duarum epistolarum ad Ill. Baronem de CRASSIER scriptarum inseruerunt, quorum in primo maxime honorifica Nostri ejusque Bibliothecæ facta est mentio, si unam illam fabulosam de Sangallensibus spoliis in ejus gazam illatis narratiunculam excepero. En ipsa Tibi referentis verba: *Des trois curieux que j' ai vû passant à Francfort, Monsieur de VFFENBACH très-riche particulier, demeurant dans la rüe d' Eschenheimer, est celui qui l' emporte: je ne crois pas même qu' il se trouve son pareil dans toute l' Allemagne. Car outre un très-beau Cabinet de medailles, il a des bustes, statuës, basreliefs, des bijoux en grand nombre, et pardessus cela une bibliotheque des plus riches et des mieux ordonnées. Pour vous en donner une idée, je vous dirai, qu' il travaille actuellement à en donner le catalogue au public, en deux gros volumes in folio, dont l' un ne contiendra que ses manuscrits, tous également rares. Cet ouvrage sera dans le goût de Lambecius, mais plus succint,*

---

fait en MDCCXXXIII. en France, en Angleterre et en Hollande; p. 23. sq.

(o) vid. Ejus Epistolas itinerarias, Germanice editas, Tom. II. Epist. XCVIII. p. 1315. sq.

eint. Parmi ses manuscrits il y en a qui lui viennent du pillage de l'abbaye de S. Gal, qu'il a acheté au poids seulement, ayant fait exprès un voyage à Ausbourg, où il avoit appris, mais trop tard, qu'on y en avoit amené des chariots pleins, qui furent d'abord vendus chez des bâteurs d'or et des relieurs de livres, et periront ainsi miserablement. Du reste je ne sçaurois assez vous vanter le sçavoir et les manieres nobles et gracieuses de ce Monsieur de VFFENBACH, qui ne souhaite rien tant que la connoissance des sçavans, à qui il se fait un plaisir de communiquer tout sans reserve &c.

Hujusce epistolæ eorumque, quæ in illa de Sangallensium membranarum fato traduntur, cum in literis ad τόν μακαρίτην datis aliud agens olim meminissem, hæc ad ea A. MDCCXXVII. mense Martio Mæcenas desideratissimus reposuit, quæ hoc loco, cum antehac occasio mihi defuerit, omnibus ut faciam cognita, pietas et ipsa illius voluntas, pro imperio mihi habenda, postulat. Ita autem vir integerrimus in epistola ad me tum exarata inter cætera: „In nuperrimis Tuis scripseras, Te „commentationem quandam de eruditis „Itinerariis Amœnitatibus Tuis inserturum, „in antecedentibus vero mentionem feceras Diarii illius literarii a duobus Benedictinis editi, in cujus Tomo II. de mea „quoque Bibliotheca quædam narrarentur. Mira-

„Mirabar a Benedictinis illis, quos ne oculis quidem vidiſſe memineram, aliquam „mei mentionem fieri potuiſſe. Cum igitur nuper in bibliotheca aliud agenti Itinerarii illius Tomus II. in manus incideret, locum abs Te indicatum evolvi. Ad „hujus vero lectionem erubui, obſtupui, „ac, niſi epiſtolam p. 175. ſq. inſertam ab „amico, quem mox nominabo, profectam „eſſe illico olfeciſſem, vehementer commotus fuiſſem. Ut enim de nimiis, quibus illam, vel me potius onerat, encomiis nil dicam, varia a veritate plane „abſona atque aliena continet. Primo enim bina illa Catalogi volumina nonniſi „Codices MSStos complecti debebant, quod „ex edito eorundem primo, eique præfixa „ad MAJUM meum epiſtola, patet. De „typis enim exaratorum librorum catalogo edendo ne quidem ſomniaram. Deinde „quæ de MSStis San-Gallenſibus Auguſtæ „Vind. a me coemtis narrat, falſiſſima ſunt. „Nam tantum abeſt, ut e Bibliotheca San-Gallenſi plena codicibus plauſtra Auguſtam fuerint delata, ut optime potius noverim, ne folium quidem iſtuc perveniſſe, ſed ſpolia illa literaria inter Tigurinos et Bernenſes fuiſſe diviſa, transmiſſque amicorum aliquis catalogum eorum „codicum, qui Tigurinis ceſſerunt, quem „etiamnum ſervo. Tantum enim abeſt, ut „ad coemendos codices iſtos iter Auguſtam „in-

„instituerim, ut nunquam istas oras atti-
„gerim, licet splendissimam hanc urbem
„adire semper in votis fuerit, atque eti-
„amnum sit. Dicam autem nunc,quæ nar-
„rationi erroneæ ansam procul dubio de-
„derunt. Autor hujus epistolæ SCHAN-
„NATUS ille est, qui variis hactenus edi-
„tis scriptis ac monumentis egregiis anti-
„quitates ac historiam Abbatiæ Fuldensis
„illustrantibus inclaruit, Vir tum magnæ
„sane eruditionis, tum etiam optimæ fidei.
„Ast cum natione sit Luxenburgensis, ac
„Germanicam linguam, tunc potissimum
„temporis, minus calleret, me in bi-
„bliotheca mox Gallica, mox Germanica,
„ob Helvetios nonnullos, qui una cum il-
„lo præsentes erant, eamque perlustrabant,
„lingua differentem minus intellexisse vi-
„detur. Sermo autem nobis erat primo
„de direpta in motibus nuperis Helveti-
„cis bibliotheca San-Gallensi, ablatisque
„inde codicibus. Deinde cum codices me-
„os veteres membranaceos commonstra-
„rem, atque unus ex peregrinis illis, qui
„aderant, percontaretur, unde hunc ap-
„paratum meum comparassem, responde-
„bam: me in itineribus plurimos conqui-
„sivisse codices, tum etiam fratrem e Gal-
„lia atque Italia plurimos transmisisse,haud
„pauca vero volumina in nundinis nostris
„olim coemisse. Narrabam porro magnam
„codicum ac membranarum copiam Colo-
„nia

„nia et ex variis in vicinia monasteriis
„huc perlata olim fuisse, quæ a merca-
„toribus Noribergensibus ac Augustanis in
„profanos bracteatorum, bibliopegorum
„ac aliorum opificum usus avide fuerint
„coemta. Addebam, me in excutiendis istis
„membranis quam maxime sedulum fuisse,
„ac varios Codices, licet non sine tædio
„ac maximo labore, hoc modo ab interitu
„servasse. Cum autem id exiguo a me fa-
„ctum esse pretio existimarent, responde-
„bam, pro ponderis ratione me hæc qui-
„dem volumina coemisse; cum vero gra-
„viores sint membranæ, ac pro formæ
„magnitudine pretium quoque auctum fu-
„erit, majora, quæ commonstrabam, vo-
„lumina haud levi pretio constitisse, adeo,
„ut earum membranarum, quæ maximæ
„formæ fuerint, libra duobus florenis re-
„dimenda fuerit, atque sic volumen quod-
„dam majus centum et quod excurrit flo-
„renorum summam sæpius confecerit. For-
„tunatum tamen me asserebam, quod
„tot tamque bonæ notæ codices profanis
„operariorum manibus præripere ac conser-
„vare licuerit, deplorabamque nullas fere
„membranas amplius advehi. Hos alios-
„ve sermones meos SCHANNATUS vel
„minus intelligens vel confundens, errone-
„am illam, innocenter tamen nec malo,
„ut prorsus confido, animo ad Baronem de
„CRASSIER, Patronum suum, perscripsit
„nar-

„narrationem. Cum autem non modo mei, „sed publici etiam intersit, ut illius falsi- „tas indicetur, rem mihi facies gratissi- „mam, si in observatione, quam medita- „ris, ubi de isthoc itinerario alias præstan- „tissimo ages, de hac SCHANNATI (sup- „presso tamen viri optimi alias mihique „amicissimi nomine) hallucinatione vel ip- „se moneas, vel si lectu digna judices, „hæc ipsa monita mea inseras„.

SCHANNATO jam mortalium cœtui exemto, reque hac nullam plane famæ viri meritissimi maculam inurente, causam non video, quare nomen ejus mihi supprimendum sit. Cæterum nisi secundum sancitas in compositione pacis cum San-Gallensi Abbate initæ leges bibliotheca illa cum omnibus Codicibus MSStis pristino suo domino restituenda fuisset, jure belli Illustrissimi Rerump. Tigurinæ et Bernensis Proceres justissimi illius extitissent possessores. Si enim sors belli aliter cecidisset, ipsorum bibliothecas eandem fuisse fortunam experturas, quis dubitet? Ecquis autem, quæso, sibi persuadeat, intelligentissimos illos hujusmodi cimeliorum æstimatores plena codicibus membranaceis plaustra tum Augustam in profanos opificum usus fuisse missuros? Quodsi vero ab aliis id, insciis superioribus, furtim factum esset, certum mihi est et extra omnem dubitatio-

nis

nis aleam poſitum, VFFENBACHIUM meum, qua erat animi morumque integritate, ne unicum quidem inde folium, licet omnia viliſſimo comparari potuiſſent pretio, in bibliothecam ſuam fuiſſe illaturum.

Sed ex hoc diverticulo in orbitam regrediendum eſt. Aſſervatur nunc in Bibliotheca Reip. Hamburgenſis Album, tribus voluminibus formæ quadruplicis oblongæ comprehenſum, cui nomina ſua inſcripſerunt docti advenæ, qui ab A. MDCCXI. ad A. MDCCXXXIII. inſignem beati Viri apparatum librarium perluſtrarunt. Singula folia figuram elegantem ære expreſſam, inque medio ejus ſpatio vacuo inſcribentium nomina exhibent (p). Ipſe noſter Mæcenas in epiſtola ad Virum Clar. Jo. Chriſtianum LANGIUM, huic Sylloges noſtræ parti

(p) vid. b. Jo. Chriſtoph. WOLFII Conſpectum ſupellectilis ſuæ epiſtolicæ et literariæ manu exaratæ. p. 298. Iſtiusmodi etiam Album Jacobus de WILDE illis, qui ſuum Gazophylacium, nummis, gemmis, variisque antiquitatibus aliis refertiſſimum, coram admirati erant, tradere conſuevit, ut nomina ſua memoriæ cauſa ei inſcriberent. vid. b. Jac. BURCKHARDI de ſua ipſius vita Commentar. p. 56.

ti inserta, emblemata in tabulis illis æneis delineata descripsit.

Præterea, qua erat propensissima ad rei literariæ pomœria amplificanda voluntate animatus, nihil facile illi fuit jucundius, quam præclara eruditorum instituta opibus suis quibuscunque promovere, et egregia, reseratis omnibus suis scriniis, subsidia illis subministrare. Nemo unquam boni publici studiosus frustra ejus suppetias quæsivit: imo nullis precibus compellatus, interdum nihil tale cogitantibus, quæ illorum opera in publicam utilitatem converti posse censuit, liberali manu obtulit (q). Dici non potest, quanta delibutum se voluptate senserit, quotiescunque eximiis aliorum studiis obsecundandi daretur ipsi occasio. Cum cimelia sua, tanto labore ac pretio parta, Viris doctis in publicos usus suppeditare illi liceret, ingens beneficium accepisse, non dedisse sibi videbatur Virorum optimus, benefaciendo triumphare solitus: ut adeo in ipsum bellissime conveniant, quæ olim Claudius SALMASIUS ad Jacobum GOLIUM de PEIRESCIO, æterno Galliæ suæ orna-

(q) Exemplum hujus rei habes in prima hujus Collectionis parte, p. 72. sqq.

mento, perſcripſit (r): *De humanitate et beneficentia PEIRESCII noſtri quæ dicis, profecto veriſſima ſunt, nihilque dici de hujus candore, liberalitate, ac magnificentia poteſt, quin omnia omnium verba factis exſuperet. Quod ruborem inde tibi ſuffuſum narras, eum deleri ex tuo illo ingenio velim. Injuriam quippe optimo Viro puto fieri, quum timide beneficia, quæ tam cupide offert, et cupidius confert, accipiuntur. Obligatur, quum obligat. Nihil unquam tale vidi.*

Hac fini Halæ Hermundurorum A. MDCCXX. in integri folii forma publicavit primum Catalogi et Recenſionis ſuorum MSS. Codicum tomum (s), ut Viris de re literaria bene mereri volentibus omnem ſuam calamo exaratam ſupellectilem liberaliter ad uſus publicos offerret, additurus mox ſecundum, niſi bibliopolæ infelicitas repagulum objeciſſet. Præfixa illi epiſtola ad Jo. Henricum MAJUM, Fil. amicorum principem, ſatis luculenter animum ejus rei literariæ promovendæ lon-

(r) vid. ejus Epiſtolas ab Antonio Clementio Lugd. Bat. A. MDCLVI. in 4. editas, p. 186. ſq.

(s) vid. Catalogi Bibliothecæ Reimmanianæ ſyſtematico-critici Tom. II. p. 7. ſq.

longe cupidissimum testatur. In isthoc Catalogo laudatus MAJUS Codices Hebraicos et Græcos more Lambeciano recensuit (t), Orientales reliquos, Carolus

(t) Juvat hic locum quendam, huc spectantem, exhibere ex magni hodie nominis Theologi Giessensis, Ven. D. Jo. Hermanni BENNERI facundissimo pariter atque rarissime obvio Panegyrico, immortalibus meritis et famæ b. Jo. Henrici MAJI, Fil. quem inter et VFFENBACHIUM nostrum intima quædam et vel ipsis naturæ vinculis firmior necessitudo intercessit, consecrato, p. 30. sqq. *Maximus Nostro fautor et amicus obtigerat, VFFENBACHIUS, in quo si PEIRESCIUM revixisse dicemus, neque nimium quiddam, neque per Europam obscurum adfirmabitur. Is, cum clarissima literarum monimenta suis in thesauris reconderet, quæ nunquam prela nec lucem publicam vidissent, admirabilis incessit cupido MAJUM, aperiendi scrinia, quorum opes literata gens introspiceret, et non minus inde, ipsius consilio, quam amici fortunæ, neque huic magis, quam sibimetipsi gratularetur. Adgressus est negotium immensi laboris, quod nescio an quisquam præter ipsum pari vel solertia, vel constantia, vel doctrina, vel ipsa denique felicitate, perficeret,*

DADICHI Antiochenus, linguæ Arabicæ ac

---

ficeret. Ipse tanquam ludus hic esset, et non omnia literarum præsidia flagitaret, Græcas ita tabulas, ut aliquis vernaculum epigramma, descripsit, plerumque sic notarum ductibus implexas, ac mirifice distortas, ut alium adspectus ipse terruisset. His non contenta sedulitas, Ebræas quoque membranas excussit, quæ non Oedipum conjectorem, sed Apollinis indicium desiderabant: ita variæ scriptiones, ita innexi apices, ita distorti sensus; ea argumentorum obscuritas, ea ubique rationum perturbatio, lectori vel cupidissimo fastidium obfundebant. MAJUS nihil hic implicitum, nihil dubium reliquit; nec precario tamen ab aliena manu, sed suo ab ingenio, promtissimaque rerum notitia filum in hoc Labyrintho suspendit, quod errore nullo, per anfractus omnes, et incerta vestigia, pedem intrepidum tuto fideliterque deduxit. Plurima ex his Latino etiam sermone feliciter expressit, obscuriora suis annotatis illustravit, scriptorum ætates, nomina, discrimina, partim signis et pictura, partim scribendi genere, quasi genio quodam adflatus, agnovit, et e suis quemque latebris in lucem evocavit. Abeant hæc in posteritatis memoriam, et monimentum exigant auctori suo, quod neque situs conficiat, neque livor ullus convellat, neque vetustas ipsa, quæ moles et marmora consumit, annorum diuturnitate labefactet.

ac Turcicæ callentiſſimus , et ipſe VF-FENBACHIUS Latinos aliosque.

Ex ubere igitur hoc fonte , ac rivo omnibus boni publici ſtudioſis patulo non pauci Viri docti ſua feliciter irrigavere prata. Documento eſſe poſſunt,ut pauca attingam exempla , Georgii Chriſtiani BURCKLINI Biblia Hebraica , directore Jo. Henrico MAJO P. edita, D. Jo. Alb. BENGELII Novum Teſtamentum Græcum cum apparatu critico , Jo. Chriſtophori WOLFII Bibliotheca Hebræa, D. Chr. Aug. HEUMANNI Acta Philoſophorum et Pœcile , Jo. Chriſtiani LUNIGII Collectiones diplomaticæ, Hermanni CONRINGII Opera a Jo. Wilhelmo de GOEBEL junctim edita, Ge. Chriſtiani JOANNIS Scriptores rerum Moguntinarum aliaque , D. Jo. Georgii SCHERZII Jus provinciale Alemannicum, ſub nomine Speculi Suevici comprehenſum , P. Bern. PEZII Theſaurus Anecdotorum noviſſimus , Jo. BUGENHAGII Pomerania , a Ven. Theologo Gryphiswaldenſi , D. Jac. Henrico BALTHASARE publicæ luci expoſita, Jo. Phil. KUCHENBECKERI Analecta Haſſiaca et Vita Herm. Vulteji, Jo. Balth. RITTERI Hiſtoria Reformationis Francofurtanæ , Jo. Chriſtophori COLERI Anthologia , Jo. Henrici MAJI Fil. Obſervationes ſacræ, Jo. Frid. BERTRAMI Hiſtoria Criti-

ca Joannis a Lasco, Jo. Mich. KOCHII Memoria D. Lutheri, Jo. Jac. SCHUDTII Memorabilia Judaica, &c.

SCHUDTII, Rectoris quondam Gymnasii Francofurtani præclare meriti, mentionem faciens, silentio prætermittere nequeo, quæ ipsemet in dedicatione quarti laudati operis tomi de nostro Mæcenate gratus commemoravit: nempe liberrimum sibi aditum ad copiosissimam Bibliothecam ab eo, clave etiam tradita, benevole fuisse concessum: ut adeo integros ipsi dies, nundinarum præsertim tempore, in illo Musarum sanctuario commorari, ac quibuscunque libris et Codicibus tanquam suis uti licuerit. Insuper cum SCHUDTIUS Anglicæ linguæ esset imperitus, varia ex ejus gentis Scriptoribus memorabilia Judaica illius in gratiam Noster collegit, atque in vernaculum sermonem transtulit (u). Meæ etiam Amœnitates literariæ vitam veluti ac spiritum b. D. Raymundi KRAFFT de Dellmensingen, Consulis olim Ulmensis, de Rep. patria et literaria immortaliter meriti, et Optimi VFFENBACHII benevolentiæ acceptum refe-

(u) Exempla vide in *SCHUDTII Jüdischen Merckwürdigkeiten*, Tom. I. p. 42. sqq. Tom. IV. p. 137. sqq. &c.

referunt, quorum uterque primo ſua ſponte, ac non rogatus ad inſtitutum illud promovendum ſua mihi cimelia, auro cariora, liberaliter obtulit.

Factum hinc eſt, ut certatim ſuos Viri eruditi libros in publicum ſummi, quo innumera ejus in literatum orbem merita proſequebantur, cultus teſtimonium ſacros devotosque ipſi eſſe juberent. Sic Excellentiſſimus Conſiliarius Imp. Aulicus, D. Chriſtianus Henricus Lib. Baro de SENCKENBERG ei nuncupavit primum Selectorum Juris et Hiſtoriarum tomum, D. Jo. Albertus FABRICIUS Bibliothecæ Græcæ tomum VI. Jo. Matthias GESNERUS Diſſertationem de Philopatride, Lucianeo Dialogo, Jo. Petrus KOHLIUS vitam Petri Bæliii, in Germanicum ſermonem converſam, L. Jo. Henricus a SEELEN Joſephi Abudacni Hiſtoriam Jacobitarum ſeu Coptorum in Ægypto, Lybia &c. habitantium, D. Franciſcus Ern. BRUCKMANNUS Theſes phyſicas ex hiſtoria naturali curioſa Lapidis τȣ̃ Ἀσβέςȣ (x), D. Jo. Hermannus FURSTENAU Diſ-

(x) Notatu dignum eſt, has theſes quatuor foliis chartæ, ex ipſo Asbeſto lapide confectæ, impreſſas fuiſſe. vid. b. Jac.

Dissertationem epistolarem de morbis Jure Consultorum, Jo. Henricus MAJUS Fil. Librum III. et IV. Observationum sacrarum, D. Theodorus HASÆUS et Frid. Adolphus LAMPE fasciculum I. Classis IV. Bibliothecæ historico-philologico-theologicæ, Jo. Jac. SCHUDTIUS quartum Memorabilium Judaicorum tomum, Christoph. Frid. GROSSIUS Petri Dan. Huetii librum de intellectus humani infirmitate Germanice redditum, et, si quid etiam de me adiicere liceat, ego tot nominibus Patrono incomparabili æternum devinctus nonam Amœnitatum literariarum partem: beate vero jam defuncti memoriæ primum Amœnitatum historiæ ecclesiasticæ et literariæ tomum lubens meritoque consecravi.

Licet autem tam chara ipsi fuerit Bibliotheca, stupendo multorum annorum studio feliciter conquisita, tamen ne libros pluris quam liberos fecisse, majoremque bibliothecæ augendæ, quam familiæ curandæ rationem habuisse videretur, accedente præter debilem sanitatis constitutionem negotiorum publicorum mole, tandem in

Jac. BURCKHARDI nova ad Commentarium de sua ipsius vita Analecta, p. 58. sq.

in tempore de Bibliotheca, qua pro desiderio uti frui amplius haud licebat, sine gravi jactura distrahenda cogitavit, exempla secutus Virorum amplissimorum Jo. Pauli Abbatis BIGNONII, van der MARKII, Sam. HULSII, Goswini UILENBROUCKII, aliorumque, qui vivi adhuc atque spirantes bibliothecas suas instructissimas nostra ætate divendiderunt.

Anno itaque MDCCXXIX. et binis sequentibus evulgavit sub titulo BIBLIOTHECÆ UNIVERSALIS VFFENBACHIANÆ Catalogum librorum, tam typis, quam manu exaratorum; quatuor spissis octies dispertitæ formæ voluminibus comprehensum, ac magna industria concinnatum, eosque adjectis pretiis venales exposuit. Gravissimas in proloquio indicavit rationes, quæ eum nolentem volentem induxerunt, ut librariæ suæ supellectilis tam charæ atque raræ jacturam faceret. Non autem in hoc copiosissimo Catalogo continentur tam ea scripta, quæ ad res Francofurtenses spectant, quam illa, quæ ad historiam literariam ac rem librariam faciunt. Hæc enim ad leniendum ex reliquorum jactura dolorem sibi reservanda, atque omni studio augenda duxit. Ingenti ipsi solatio fuit, quod locuples apparatus Hebraicus, Codicibus CCXXXV. manuscriptis constans, in dignissimas summi Philologi

Hamburgensis, Jo. Christophori WOLFII, manus pervenerit (y). Insignem congeriem actorum et scriptorum, ad res Francofurtanas spectantium, Reipublicæ patriæ legavit. Libri autem ex venditione magno numero residui, et qui ad historiam literariam ac rem librariam faciunt, post beatam ejus analysin Anno MDCCXXXV. mense Martio et sequentibus sub hasta plus licitantibus fuere divenditi, novusque hunc in finem eorum Catalogus, quatuor itidem tomis comprehensus, typis excusus est. Hæc de BIBLIOTHECA VFFENBACHIANA famigeratissima, e qua tantum boni in orbem eruditum redundavit, in præsentia sufficiant. Restat, ut de vita Nostri conjugali ac Reipublicæ patriæ devota aliisque nonnihil adhuc commemoremus.

Provido Numine sic dispensante, vitæ thorique sociam A. MDCCXI. mense Julio elegit Viri sibi amicissimi, Jo. Nicolai Sneideri, dicti Smidt, artis salutaris Doctoris, Viduam, et generis honestate, et aliis, quæ fœminas decorant, ornamentis maxime insignem, Margaretam Elisabetham, D. Wilhelmi PERSBECHERI, JCti, Scabini et Senatoris Francof. spectatissimi, ac Eli-

(y) conf. Sylloges hujus Partem I. p. 57. sq.

Elisabethæ Margaretæ de Glock filiam: quam Musis amicam fuisse in schedis suis sæpe Noster lætus testatur, et cum qua ad vitæ usque finem amantissime ac sine querela vixit. Suscepit ex ea duas filias, unam Sibyllam Carolinam A. MDCCXII. d. XIX. Jun. alteram Annam Sibyllam A. MDCCXIII. d. II. Jul. Filius vero ipsi natus est A. MDCC-XVI. d. VI. Jul. ac nomine Friderici Caroli insignitus, qui

Si vixisset, erat decus et spes magna parentis.

Sed flos ille in ipso quasi exortu iterum concidit. Utraque autem filia intra unius anni decursum, una infelici raptu, altera subitanea morte se A. MDCCXXXII. et sequenti privatum infaustus pater acerbe doluit.

Licet Noster Mæcenas, totus literarum amore flagrans, sibi tantum Musisque vivere suis, ac nullis aliis implicari negotiis præoptasset, patriæ tamen commodis pro virili promovendis se quoque natum cogitans, ac boni civis officium rite expleturus, A. MDCCXXI. a Patribus Reip. Francofurtanæ conscriptis in amplissimum Ordinem senatorium curarumque ac consiliorum partem se cooptari facile passus est. In hac dignitate positus, supremam sibi legem salutem patriæ statuit, talemque se præstitit, ut in eum convenerit, quod de Catone pronunciasse Ciceronem novi-

novimus: *O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet.* Consulatum bis ita gessit, ut in omnibus ejus factis atque consiliis enituerit spectata illius probitas ac integritas, prudentiæ et comitati amico juncta connubio. Tandem circa anni MDCCXXX. finem ad Scabinatum ascendit, eum nempe honoris gradum, quo ad supremum in Rep. Francofurtensi fastigium proxime acceditur. Tantum vero inde pro bono publico curarum, tantum laborum in ejus humeros devolutum est, ut vale Bibliothecæ suæ, tantopere sibi deamatæ, dicere coactum se ingemiscens senserit.

Cæterum temperamento fuit cholerico-sanguineo, statura mediocri, vultu liberali quidem, sed pallidiori, oculis nigris, grandiusculis, hiantibus, sereni ac boni animi indicibus, voce virili, ast non ingrata, sed sonora, et, quod præcipuum, consona menti, corporis habitu ad maciem magis, quam obesitatem inclinante, gestibus honestis et ad gravitatem compositis: animo Deum pie reverente, in victu temperante, omnes voluptates præter eam, quæ ex literarum studiis enascitur, spernente, ad iracundiam paulo proclivi-ore, sed facile rursus placabili, nec vindictæ cupido, justitiæ et æquitatis amante, nihil unquam in dicenda sententia aut metui

tui aut gratiæ dante , nulla denique re jucundius, quam si consiliis opibusque suis eruditi orbis commoda amplificare posset, affici solito.

Ab A. MDCCXXV. valetudo fuit satis imbecilla, et ad omnes ventorum tempestatisque injurias valde irritabilis. Patienter autem hos vitæ sedentariæ ac mali hypochondriaci in dies ingravescentis fructus tulit, nec uxori, liberis ac domesticis molestus esse querelis, nec etiam officiis deesse voluit. Hinc quotidie curiam frequentavit, licet variis languoribus obnoxius. Tandem vero, accedentibus gravissimis, quas supra attigi, calamitatibus domesticis, lenta eum febris sensim omnibus plane viribus exhausit; unde factum est, ut A. MDCCXXXIV. d. VI. Jan. pie præparatus Vir immortalitate dignus placida analysi in beatorum sedes ex mortalium cœtu emigraret, anno ætatis primo supra quinquagesimum nondum plene exacto, spatio quidem vitæ satis angusto, sed, si facta et merita ejus pensitemus, nullis terminis circumscripto. Superstes enim est, eritque semper in omnium bonorum memoria, quamdiu decus suum magnis mentibus et præclaris meritis constabit. Mihi certe, dum spiritus hos reget artus, memoria tanti Musagetæ perpetim erit venerabilis, nec ulla unquam

be-

beneficia, quibus me ornavit, obruet oblivio.

Psalmo XXV. in precibus ad Deum fundendis quotidie usus est. Sæpe etiam pio animi affectu in memoriam sibi revocans providam Numinis curam, in se embryonem adhuc in utero materno existentem conspicuam (z), grata in Deum mente Psalmi CXXXIX. versus 13. et quinque sequentes sibi applicavit, atque hoc pacto ad fiduciam in divina providentia rebus etiam in adversis collocandam se excitavit. Textum sibi funebrem mature elegit Psalmi XXXIX. vers. 5. ad 10. usque, bibliothecæ præsertim suæ versum septimum accommodans.

Licet Francofurti ad Mœnum Scabinis post suprema fata is haberi soleat honos, ut in templo quodam primario sepulturæ illis locus concedatur, suis tamen sæpius, et in lectulo quoque emortuali, Noster inculcavit, ne forte post mortem exhalationibus, e putrefactione oriundis, cuiquam vel molestus, vel exitiosus esset, velle se, quandocunque summo vitæ necisque nostræ arbitro visum fuerit, in communi cœmeterio, et quidem juxta latus b. Jobi LUDOLFI, sepeliri, dissolvi ac in pulverem redigi: integrum vero ipsis reliquit, si pro pietate sua tam sibi, quam posteris memoriam

(z) vid. primam Vitæ Uffenbachianæ particulam, p. V.

riam ejus conservare vellent, ut monumentum aliquod honorarium, quo autem et ipso facile carere, ossaque sua etiam sine tali molliter quiescere possent, in Templo quodam, sine ullo tamen fastu atque pompa, erigant.

Curatum id est decenter a Vidua mœstissima, anno deinde nondum prorsus circumacto Maritum desideratissimum moriendo secuta, hocque in Templo, S. Catharinæ olim dicato, ipsi erectum fuit monumentum, nigro marmori insculptum.

Accede propius Viator
ac sine fastidio lege
non enim Epitaphium est quod cernis
cadaver vel putrescentia membra tegens
sed monumentum honorarium
ZACH. CONRADI AB VFFENBACH.
Reipublicæ patriæ Scabini ac Senatoris
quod amplissimi Senatus indultu
memoriæ sacrum esse voluerunt
hæredes mœstissimi.
Ipse enim extra Ecclesiam sepeliri maluit
in propylæo hujus Templi quod orientem
spectat
ne post obitum etiam cuipiam gravis esset
quod tota vita sedulo cavit.
Tantum suasit modestia viri optimi.
Sic etiam vetat marmor jactare prosapiam
insigniorum mole
quippe notam
non merita in utramque Rempublicam
civilem nempe ac literariam

nam

nam fasti curiæ
et permulta Eruditorum scripta
ejus servabunt memoriam
qui pro summo suo in bonas literas studio
vivere in illis
post fata meruit
Natus est in hac urbe
D. XXII. Februarii MDCLXXXIII.
Denatus. d. VI. Januarii MDCCXXXIV.

Marmori autem, ipsi beatissimi Viri tumulo imposito, hæc incisa sunt:

Mortale
ZACH. CONRADI AB VFFENBACH
Scabini ac Senatoris
Depositum
Cujus Epitaphium in ipso Templo
versus Occidentem erectum
reliqua docet.





LV.

ERNESTO MARTINO PLARRE (a)

ZACHARIAS CONRADVS AB VFFENBACH.



Jucundiſſima mihi fuit tuarum cogitationum de ſcribendi pruritu remediisque contra eum perluſtratio. Igitur, ut meditationibus iſtis ulterius inſiſtas, rogo. In maximum enim omnis rei literariæ detrimentum creſcit indies inſanabile iſtud cacoethes, nec ulla ſpes eſt

(a) Hic, ortu Berolinenſis, egregia præma-

meret illum. Aſt, pace tua dicam libere, non facile tales, quales tu requiris, Cen-

---

bliothecæ ſuæ forulos diligentiſſime excuſſit, ut, quæ ad illud inſtitutum pertinerent, in ejus gratiam enotaret; neque moleſtum ipſi erat, varia ex diverſis auctoribus excerpta, addito ſæpe de iis judicio, cum eo communicare, ac ſumma dexteritate omnia ſuggerere, quæ dubiis ab illo propoſitis ac deſideriis ſatisfacere poſſent. Dolendum autem, hiſtoriam illam haud prodiiſſe in lucem. Gauderet haud dubie iſta orbis eruditus, ſi ad LEIBNITII, noſtri ſæculi Phœnicis, conſilium (vid. Ejus Epiſtolas, a b. Kortholto evulgatas, Vol. I. p. 397.) politiſſimus PLARRE Neocomum ad Comitem Metternichium miſſus, ac ipſis Tabularii Neocomenſis documentis inſtructus fuiſſet. Verum Viri præſtantiſſimi in agendo dexteritas, aliæque exquiſitæ animi dotes ad altiores dignitates, ac inde enaſcentes labores graviſſimos ei parabant aditum, calamumque, rei literariæ varie profuturum, manibus excutiebant; imo prægmatura tandem mors eum in ipſo vernantis ævi ſummæque dignitatis flore, anno ætatis trigeſimo tertio nondum exacto, orbi erudito eripuit.

fores invenies. Et, si omnibus istis polleant virtutibus, sinceritatem præprimis desiderarem ego. Sine hac malum in pejus evadet, studiaque in alterum extremum, imo exitium incident. Personarum enim et inprimis veritatis, quod proh! dolor eam semper comitatur et insequitur, odium, æmulatio, invidia communia eruditorum sunt vitia, quæ literis quam maxime obsunt. Iis ut careant Censores tui, ante omnia oportet. Alias, ut in Hispania et Italia evenisse vides, Reip. literariæ detrimento magis, quam adjumento erunt. Proprium tibi exemplum dabo, quodque ego ipse ægerrime fero, censuram nimis uti inexpectatam, ita iniquiorem propositi tui utilissimi in edenda historia Leutingeriana. Spero tamen, fore, ut vana illa obstacula brevi superes, et ad felicissimum exitum inceptos tuos labores perducas. Cautius tamen agendum tibi: nam is, cum quo tibi res, niger est, hunc tu Romane caveto. Sapienti sat! Interim de felici progressu me sæpius certiorem reddes. Francof. A. 1707. d. 3. Sept.



LVI.

LVI.

ZACHARIÆ CONRADO AB VFFENBACH

ERNESTUS MARTINUS PLARRE.

Quas D. Lindheimero mihi reddendas dedisti litteras, III. Sept. exaratas, recte accepi, atque ex iis voluntatem in me tuam haut obscure vel eo intellexi, quod opem tuam studiis meis qualibuscunque non proficuam minus quam necessariam, adeo benigne pollicitus, supellectilis Tuæ ulteriorem usum concedere non graveris. Digna hæc liberalitas est homine litterato, atque hoc postulant studia, quæ cultores suos communi vinculo connectunt, ut quod uni deest, alter suppleat, publici boni causa. Quisquis enim sibi soli sapit, aliis penes se susque deque habitis, pro cive reipublicæ litterariæ haberi non debet, sed ad solipsorum Monarchiam relegandus est. Fateor ingenue, non potuisse mihi quicquam accidere magis gratum amicitia tua, quod videam recte Te sentire de Musis, atque earum pretium nosse; quin præclare de iis mereri. Possides thesaurum auro contra carum, augescentem in dies accessionibus novis. Hunc tu non abscondis, vel Tibi servas soli; sed directo dominio retento

ſorum habendus; ne munus hoc illis conferatur, qui, ut videantur ſapere, dicente Phædro, cœlum vituperant. Hiſpanorum et Italorum, quos in exemplum vocas; Cenſuræ litteris nocivæ magis, quam utilis, diſpar videtur eſſe ratio, nec illi obſtant poſtulatis meis. Etſi enim illi conatu ſuo in expurgandis libris litterarum ſtudiis obeſſe videantur, non tamen re penitius expenſa aſſeri illud poteſt. Nam primo hæc Cenſura non prohibet librorum editionem (b), qui tum demum, poſtquam excuſi ſunt, expurgantur, ſed lectuuram tantum interdicit illorum locorum, quæ non congruunt credulitati Romanæ; Et deinde etiam illa Cenſura, etſi librorum editionem præceſſerit, nihil detrimenti attulit litteris in Hiſpana Italaque ditione (c). Quin, ſi dicendum, quod

 res

(b) Utique Cenſura Inquiſitorum prohibet librorum ipſis ſuſpectorum editionem, quod præter ipſam praxin teſtantur regulæ et obſervationes, Indicibus librorum prohibitorum præmiſſæ. De rigido et moroſo librorum imprimendorum examine vid. Pauli Manutii Lib. III. Epiſt. XXXI. XLI. XLII. quanquam in re tam evidenti teſtimoniis opus non ſit.

(c) Mirum, hæc aſſerere auſum Plarrium, præ-

res est, asseverare ausim, tantum utilitatis inde cepisse studia, ut, quum in nostris

---

præjudicio scilicet receptæ hypotheseos abreptum; nisi forte exercitii tantum gratia hæc scripserit. Sane ubi libertas sentiendi exulat, ac Viri docti metu Inquisitionis reprimuntur, multa veræ eruditionis incrementis objecta sunt repagula. En tibi testem ex ipsis Pontificiis gravissimum, Lud. Ant. MURATORIUM, sub nomine Lamindi Pritanii, Lib. II. de ingeniorum moderatione in religionis negotio Cap. v. p. 251. edit. Paris. A. 1737. inter cætera de Censorum ecclesiasticorum rigore ita scribentem: *In ipsam Ecclesiam, immo in totum genus humanum recidit hujusmodi injuria. Recidit demum in ipsam veritatem. Hinc enim eruditi a scribendis libris, ab explicanda ac proferenda veritate, atque ab erroribus stylo suo insectandis absterrentur. Frustra quippe, ut ait quidam, niti, neque aliud fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Certe novimus, qui, ne sibi confligendum foret cum indocili quorundam Censorum inscitia atque impotentia, dimissis theologicis ac philosophicis studiis, se totos conjecerunt in eruditionem profanam, unde si non æqua laus, certe minus periculi, et plus quietis expectandum fuerat.* Non

ſtris terris videamus officinas omnes futilibus ſchedis refertiſſimas; in illis regionibus libri nunc rarius prodeant, ſed tales profecto, qui merentur locum in loculis eruditorum; id quod Antonii Bibliothecam Hiſpanicam (d) et Italiæ Ephemerides litterarias (e) evolventi non poteſt eſſe

R 5 obſcu-

Non ergo privatis tantum ſtudiis officitur ab hisce Cenſoribus, ſed publicæ etiam utilitati et Eccleſiæ, quæ Scriptoribus Theologisque indiget, non aſſentatoribus, dum ſcribunt, neque zelo immoderato ferventibus, dum judicant, ſed ſolida eruditione refertis, et omni ſuperſtitione et affectu vacuis.

(d) Quaſi vero in Nic. ANTONII Bibliotheca Hiſpanica, opere præſtantiſſimo, non multi Hiſpanorum, quorum vitas deſcribit, inſulſi ac futiles adducantur libri! Nec etiam omnium, qui in Hiſpania prodierunt, librorum notitiam dedit Antonius.

(e) Inde hoc, quod vult Plarrius, minime conſequitur. Præſtantiores enim tantum libri in eximiis illis Ephemeridibus recenſentur, rejectis futilibus, quorum magna etiam in Italia eſt ſeges. Sic male concluderes ex libris, in Actis Eruditorum Lipſienſibus recenſitis, ad omnes in Germania noſtra publicæ luci exponi ſolitos.

præbent superiores epistolæ. Continua autem allegoria, a generatione hominis, et quæ eam antecedere, comitari ac subsequi solent, rebus argumentum hoc persequi meditabatur, cujus hæc in schedis ejus extat sciagraphia. I. Dialogus præparatorius. II. Nuptiæ mentis et sophiæ vel moriæ. III. Conceptio. IV. Tempus gestationis. V. Puerperii præparatio. VI. Ipsum puerperium. VII. Partus. VIII. Solennia puerperii post editum partum. IX. Educatio et familia. X. Manumissio. XI. Fata. XII. Mors seu interitus et immortalitas. Accessum ad illud institutum hoc sibi parare pacto constituerat. Gregorius LETI, polygraphus ille haud incelebris, cujus imagini hoc nonnemo subjecit distichon:

Hæc LETI facies, quot sæclum continet annos
Quem solum dicas tot peperisse libros,

post suprema fata campos ingressus Elysios, cum multos adhuc fœtus literarios in utero veluti ingenii gestaret, eque parturiendi dolore jam jam laboraret, tumultu ibi miscebantur omnia, deficiente nimirum typographia, cujus ope, obstetricantes manus præbentibus bibliopolis, in lucem alias ingeniorum partus sive libri proferri solent. Accessit suppetias illi laturus JCtus clarissimus, Andreas TI-

RA-

RAQUELLUS, THUANI elogio æque ingenii ut corporis numerosa fœcundus prole, quippe qui, dum vitali frueretur aura, singulis annis singulos libros ac liberos Reip. dare consueverat, quemque propterea hoc epigrammate Theodorus BEZA celebravit:

Est tibi natorum quæ computat agmina conjux,
Est tibi quæ natos bibliotheca parit.
Fortunate senex, te nulla oblivia mortis,
Te nunquam totum tollet avara dies.
Namque alia ex illis mox est ventura propago,
Ex his est pridem gloria nata tibi.
Ut vero pereant illi, illorumque nepotes,
Hæc tamen incolumis cum patre neptis erit.

Hic asserebat, si non partubus humanis, ingenii tamen et literariis dandum in iis campis esse locum, quanquam utrosque suo exemplo collaudatos cuperet. Obstitit ipsi, quantum ad illos quidem spectat, ERASMUS Roterodamus cum aliis viris doctis, a re uxoria, dum viverent, abhorrentibus, quantum vero ad hos, repugnabant nonnulli, qui, licet ingenio ac eruditione præditi, a libris tamen scribendis prorsus abstinuere. Hanc ergo litem ultro citroque agitandam hac ratione sibi proposuerat Noster, ut perpetua partuum humanorum cum ingenii fœtibus comparatione Scriptorum vitia ac nævos per-

strin-

ſtringeret, exemplis ubique ex hiſtoria literaria adjectis. Meis in manibus verſantur, ex liberalitate τῦ μακαρίτου complures ejus ſchedæ, meditationes hanc in rem fortuitas complexæ, e quibus, ceu ex ungue leonem, ingenii ubertatem, judicii acumen, et vaſtam lectionis copiam jucunde cognoſcere, ac manibus veluti palpare licet. Plusquam ſexcenta ſunt (vere hoc, non ὑπερβολικῶς ſcribo) formæ quartæ folia ſeparata, in quibus tot modis corporum fœtus et ingeniorum ſcite invicem comparantur, ut nemini facile id fieri poſſe aſſerenti fidem habuiſſem, niſi promtus ingenio, in judicando ſolers, et plurima lectione exercitatus id mihi ſuo perſuaſum exemplo reddidiſſet VFFENBACHIUS meus. En tibi ſpeciminis loco primas colloquii, multum ſuavitatis et leporis, multum eruditi ſalis et mellis, ſi perfectum fuiſſet, habituri, lineas.

„GREGORIUS LETI. Neſcio, quæ „furiæ me parturientem, et in ipſo puer„perio affectu quodam hiſterico laboran„tem velut mortuum abſtulerint, ac huc „detulerint, cum adhuc vivam, et gra„vidum me ſentiam. Annon tu ipſe, „Charon, majus a me ſolo adhuc viven„te onus ſentis, quam a cæteris umbris „omnibus? CHARON. Non licet mihi „ad litus reverti: perferendus es ad thro-

num

„phroditus igitur eris, cum virum gravi-„dum nunquam vel viderim, vel audie-„rim. LETI. Ingenii fœtus eſt, quem „pario, qualem geſtavit atque peperit „Jupiter. CHARON. Novi, illum in ce-„rebro genuiſſe Minervam. Aſt qualem „tu nobis paries fœtum cerebrinum? An „putas, te, cum mortalis ac miſer homo „fueris, paria cum Numine facere poſſe? „LETI. Ipſa favente Minerva &c.„ Cætera promiſcue tantum, prouti animum fortuito ſubierunt, in chartam conjecta, ac nondum in dialogi formam ordinemque digeſta ſcitam VFFENBACHII cujusdam manum expoſcunt.

Si quis autem hoc ſcriptionis genus perſona, quam Noſter gerebat, haud dignum exiſtimet, is, velim, ex multis unum ſibi in animum revocet Joannem Valentinum ANDREÆ, Theologum et pietate, et prudentia, et munerum dignitate graviſſimum, cui nemo facile æquus rerum arbiter vitio vertit, quod ridendo dicere verum, hominumque vitia ſatyrico ſale perſtringere haud dubitaverit.

Dolendum potius eſt, quod nova opuſculorum Viri, de Eccleſia Chriſti optime meriti, hodie rariorum, editio ſufflaminata fuerit, quam animo agitavit, ejusque ſpem

ſpem ſingulari epiſtola Tubingæ A. MDCCXIII. evulgata excitavit b. Andreas Chriſtophorus ZELLERUS, Abbas, dum viveret, Anhuſanus. Exſtant in ejus Mythologia Chriſtiana, ſive virtutum et vitiorum vitæ humanæ imaginibus duo apologi, eodem fere ſpectantes, quos, cum libellus parum ſit obvius, in lectorum noſtrorum gratiam huc transferre viſum eſt. Uterque continetur Manipulo quarto. Unus, qui ordine eſt decimus ſextus, LIBELLUS inſcribitur, alter numero XXVI. PAPYRIPERDA. En tibi primum: „Liber et libellus ſibi obviabant. Ille, cujus erat inſolentiæ, puſillum deſpiciens: „unde et quo, inquit, immanis? Libellus „ſarcaſmo irritatus: Et tu inanis, reſpondit, quorſum? Ita mutuis aculeis ſtimulati, cum ille mole ſuperbiret; hic ingenio confideret, facile ad injurias verba „reciproca invenerunt. Doluit tamen libro, exprobrari tot autorum ſpolia, et „impudentes deſcriptiones, ac plebejam „verboſitatem, quod non niſi congeſtum „acervum rerum quotidianarum referret, „ſine ſtructuræ ullius artificio. Contra „libellus audiebat extemporaneus et præcipitatus factus, qui, unico ceu fulgure, „oculos perſtringeret, ac mox evaneſceret. Tandem re ad arbitros devoluta, „cum pro utriusque laude multa adferrentur, id tandem improbatum, quod liber libel-

„libellum temere irrisisset, cum rerum Hi-„storia id dudum innotuerit, nihil ad mo-„vendos, informandosque homines, ac „causam novam insinuandam aptius, con-„venientiusque esse minutis, sed ingeni-„osis, libellis.

Accipe etiam alterum: „Cum ex Po-„lygraphis quidam merita sua in Rem-„pub. impudentius jactitaret, non tulit id „Minerva, et cum risu *un gaste papiers* vo-„cavit, quasi papyri-perdam diceres. Id „homini intolerabile visum, cum de injuria „undique conquereretur, tandem obtinuit, „ut Minerva audiret. Illa, ut cavilli sui „testes haberet, Bibliopegos, Mercatores, „et pharmacopolas convocavit, quæsivit-„que, quanam maxime papyro res suas in-„volverent, e qua mappas suas potissi-„mum conficerent. Responsum est uno „ore, unum polygraphum hoc tempore „omnes officinas occupare. Quæsitus Bi-„bliopola, quo præ reliquis abundaret li-„bro, Polygraphi vasto volumine; Typo-„graphus etiam cum gemitu, nimium se „hujus pecoris divitem fassus est; denique „et ædium abscondita hunc scriptorem „agnoscebant. Hæc ut audivit, Judices „accedens: Fateor equidem, me hujus „viri famam nunquam satis agnovisse, ut „qui de omni hominum genere optime „meritus est; itaque oro, veniam meæ

„imprudentiæ det, ac ipſe porro talia „opera ſcribat, quæ ſi non Bibliothecis, „certe humanis uſibus ſint dedicata. Id „unum metuo, ne, dum infinitorum ma„nibus teritur, tandem abſumatur, li„brisque ſuis vivat ſuperſtes„.

Hoc unum addo, in Obſervationum ſelectarum Halenſium Tomo II. p. 1. ſqq. ſingularem exhiberi obſervationem de intempeſtivo libros ſcribendi et diſputandi pruritu. Conferri quoque merentur, quæ de hoc argumento Muſageta noſter ad Majum ſuum eleganter perſcripſit in hujus opellæ parte I. p. 166. ſq. Diſquiſitio autem doctiſſimi PLARRII de refrenando immoderato ſcriptionis impetu, quæ literariæ inter ipſum et VFFENBACHIUM velitationi anſam ſubminiſtravit, publicam lucem nunquam vidit.



LVII.

LVII.

JO. CHRISTIANO LANGIO, Philoſopho Gieſſenſi.

Quæ deſideraſti, Emblemata lubens transmitto, et, quanquam tanti non eſſe probe agnoſcam, mentem tamen meam de illis ut explicem, haud gravatim feres. Quatuor minora, Bibliothecæ meæ ſchema uno intuitu ſiſtentia, velut inſigne libris meis, vel potius integumentis ipſorum per amanuenſem agglutinari facio (h), ne nominis mei adſcriptione titulos

(h) Figura illa ænea, quam ſingulis bibliothecæ ſuæ voluminibus, ſeu integumentis potius eorum interius agglutinandam, artificioſo Jo. Ulr. Krauſii Auguſtani cælo æri, idque quadruplici pro diverſa librorum magnitudine forma, incidi curavit VFFENBACHIUS, eleganter repræſentat Bibliothecam Vffenbachianam cum Numophylacio aliisque ornamentis, corona roſacea circumdatam. In utroque latere exhibentur ſigilla, quorum unius apoſphragisma ſiſtit inſignia nobiliſſimæ gentis Vffenbachianæ, alterius initiales nominis literas,

et ora librorum, quod multis maximo eorum, ad quos isti transeunt, tædio solenne est, fœdare opus sit. Istis vero figuris meum in colligenda aliquali Bibliotheca studium testari, adjectaque inscriptione simul excusare volui. Tam pauci enim hic sunt æqui literarum librorumque æstimatores, ut vix numerum artium liberalium æquent. Illos enim, qui nonnisi mercenaria studia amant, et ultra *Vademecum Scherzerianum*, Juris civilis Corpus, vel Galenum non sapiunt, nil moror. Reliquos vero auri sacra fames adeo incessit, ut libros non solum, sed et eorum collectores pro inutilibus terræ ponderibus habeant, sumtus in illos factos non pro liberalibus, sed insanis et profusis reputent. Clamitent igitur:

O cives, cives, quærenda pecunia primum!
Virtus post nummos.

Alia

---

ras, artificioso ductu implicatas: superne duo Copiæ cornua impositis corollis rosaceis includunt Petronii verba majusculis literis scripta: NON OMNIBUS IDEM EST QUOD PLACET. In inferiori margine iisdem literis legitur: EX LIBRIS BIBLIOTHECÆ D. ZACH. CONR. AB VFFENBACH. M. F. i. e. Mœno-Francofurtensis.

Alia mihi mens est.

Inveniat quod quisque velit, NON OMNIBUS IDEM est,
QUOD PLACET, hic spinas colligit, ille rosas.

Quo etiam corona rosacea, quam cernis, alludit. Colligant alii spinas, id est, divitias, placent mihi rosæ, quas licet non sine tædio, quod ii, qui studio erigendæ bibliothecæ incumbunt, optime norunt, colligam. Non enim sumtibus solum, ac nummis, sed infinito plane labore et singulari industria hic opus est: ne dicam, quam difficilis comparatu bonorum librorum notitia sit. Alterum emblema illorum gratia, qui rectius de hisce sacris judicare norunt, excogitatum, iisque dicatum est. Figura, quæ primum ac superiorem locum occupat, Musasque colludentes repræsentat, adjecta inscriptione: SOCIETATE GAUDENT, indicat, quam gratum ac jucundum iis, qui bibliothecam instruunt, esse debeat, si a Viris doctis invisantur, ut de libris sermonem serere, deque sapientiæ ac eruditionis thesauris gaudere, doctioresque de illorum alloquio recedere possint. Absit, absit enim, ut illos abscondant thesauros, atque sibi aliisque otiosos ac inutiles esse patiantur. Sed etiam, atque adhuc clarius altera figura innuit, cum sua, licet in vulgus no-

ta, nunquam ſatis tamen notanda epigraphe: NON SIBI SOLUM. Quemadmodum enim apes, quarum induſtria, diligentia, et, ut ita dicam, ſapientia tanta eſt, ut multum in œconomicis, imo politicis, homines ab iſtis animalculis diſcere poſſe integris voluminibus a quibusdam demonſtratum ſit, ſuccos e floribus non ſolum in ſuum ſuccum et ſanguinem convertunt, ſed etiam mel et ceram inde conficiunt, quorum copia aliis quoque inſerviunt; ita Viri probi atque eruditi libris ſuis non ſolum propriam mentem ſuam paſcunt, ſed etiam aliis dapes literarias, et quaſi cereos, quibus ad ſapientiæ viam prælucent, conficiunt. Atque etiam ſicuti apes flores pene illæſos ſervant, ac hominibus ad viſum ac odoratum recreandum relinquunt; ita bonorum librorum poſſeſſor illorum uſum aliis quoque non invideat, eosque, qui aliter ſentiunt, bibliotaphos cum ſuis theſauris æterna oblivione ſepeliendos judicet. Sed ad alterum huic oppoſitum emblema jam venio, quod ex ingenio, præcedenti ut reſpondeat ac concordet, addidi. Vides autem hic primo loco apespugnantes, et inimicum moleſto ſuſurro ac ſtrepitu ſibi gravem furtoque etiam exitioſum fugantes. ABSINT PROCUL FUCI, UT ILLIS BENE SIT. Fucis certe, quod mecum fateberis, ſimillimos puto illos, qui

velut fures temporis bibliothecas intrant, non animo ad hæc sacra rite initiato, sed plane rudi; quare aures possessorum aut ineptis quæstiunculis, vel, quod pejus, scurrilibus inter se jocis obtundunt, vel etiam, quod pessimum, libellos e loculis, ut fuci crabronesque mel solent, surripere student, cujus sceleris celeberrimi alias Viri, GOLDASTUS, SCHURZFLEISCHIUS, et multi alii insimulantur. Araneam porro hic cernis, animalculum, quod veteres animalis historiæ scriptores, jure an injuria, nunc, ne simile claudicet, non definio, incusant, quod ex omnibus venenum sugant. Videant isti, quomodo probent accusationem, cum neotericorum de venenis sententiæ adeo discrepent, ut sint, qui plane in rerum natura dari negent. Interim non male, meo equidem judicio, araneis comparantur illi, qui non nisi male libris utuntur, bonos detrectant, et nonnisi similes insipido palato lactucas quærunt. Mus vero librum corrodens eos denotat, qui libellos, imo pretiosissima sæpe opera, mutuo ipsis benevole data, male habent, ac corrupta reddunt, vel plane retinent. Infima tandem figura pastorem sistit, more veteri amicorum nomina arbori insculpentem, scopumque meum adjecta inscriptione demonstrat, cur hancce tabulam fieri curaverim. Longe enim a me absit ulla osten-

tatio, aſt delectat dulcis amicorum recordatio. Maxima ſane cum jucunditate nomina amicorum relegere, ac docti ſermonis memoriam non ſine fructu recolere ſoleo. Sæpe etiam accidit, ut ii, qui me præſentia ſua honoraverunt, elapſo temporis ſpatio literis me ſuis ſalutarint, ac, ut evolvendis vel etiam commodandis libris ipſis ſuccurrerem, rogarint, quorum ne nomina quidem in mentem, ut labilis admodum mea eſt memoria, revocare potuerim. Aſt cum magni mea interſit, ut cum Viris probis ac eruditis commercium intercedat, neceſſe utique eſt, ut illorum memoriam colam. Incitavit me quoque optimorum Virorum, WILDII, FELLERI, aliorumque exemplum; quorum ille Album locupletiſſimum ſuum Cimeliarchium inviſentibus, hic vero celeberrimi cujusdam Viri philopinacium Bibliothecam præſtantiſſimam Lipſienſem perluſtrantibus obtulerunt. Exolevit quidem mos ille antiquus, Album amicorum conficiendi (i), per

(i) Nota eſt egregia b. Mich. LILIENTHALII Diſſertatio de Philothecis, varioque earundem uſu et abuſu, quæ recuſa extat in ejus Selectorum hiſtoricorum et literariorum parte II. p. 1. ſqq. conf. b. Jac. Burckhardi de ſua ipſius vita Commentar. p. 201. ſqq.

per abuſum ſcilicet , quod tali inſtructi mendicando oſtiatim victum quæſiverint , alii vero libellum obſcœnis figuris , vel etiam ſcurrilibus nugis refertum probis ac doctis Viris præbere non erubuerint , qui nomina inſcribere merito detrectaverunt , maximo bonorum ac honeſtorum diſpendio , qui veneranda doctorum nomina magni , ut decebat , fecerunt. Ego equidem , ſi mihi Album , præclarorum Virorum nominibus ornatum , obvenit , magna cum reverentia aſſervare ſoleo,cum etiam ad manus doctorum dignoſcendas , et ad dijudicanda MSta doctorum Virorum autographa inſervire poſſit. A. MDCCXII. d. VII. Dec.



PROBLEMA LITERARIUM
de
Cultello Flaciano.

In ſuperiori epiſtola mentio fit Virorum, plurimis alias in rem literariam meritis inſignium, qui furti a nonnullis incuſati ſunt librarii; jurene an injuria, haud facile dixerim. Mirum, non principe inter illos loco nominari Matthiam FLACIUM Illyricum, qui tamen, ſi vera ſint, quæ de ipſo traduntur, omnibus in hoc egregio ſcilicet artificii genere dubiam facile palmam reddidit. Is enim, diſſimulata perſona et habitu, ad conficiendum Catalogum teſtium veritatis Monaſteriorum in Germania Bibliothecas perluſtraſſe, et, vel quos commode potuit, libros integros inde clam abſtuliſſe, vel eorum, quos ſurripere nequivit, pagellas aut philyras quasdam ſibi proficuas cultello exſcidiſſe fertur, adeo, ut *culter Flacianus* dudum abierit in proverbium. Parum autem abeſt, quin mihi ex VFFENBACHII ſilentio perſuadeam, Optimum Virum, hujusce FLACIUM criminis injuſte poſtulari, cenſuiſſe. Quis enim, dum illa ſcriberet, rem lippis atque tonſoribus notam in mentem ipſi haud veniſſe, credat? Quicquid vero ejus rei ſit, ſive hujus ſceleris

reum,

reum, five insontem habuerit ILLYRICUM VFFENBACHIUS, hoc ex beati Viri schedis exploratum mihi est, charam ipsi valdeque honoratam fuisse Flacii memoriam.

Cum enim aliquando jucunde apud Virum venerabilem Jo. Balthasarem RITTERUM, inter ceteras memorabiles epistolas ad atavum ejus Matthiam RITTERUM a Viris maximis datas, varias etiam a Flacio quondam scriptas lustrasset, interque eas unam in lectulo emortuali exaratam, magna cupiditate accensus est, ejus Francofurti in summa egestate denati sepulcrum, ac, si forte quod ipsi positum esset, epitaphium inquirendi: verum omnem in hoc operam frustra consumsit, doluitque, Viro, si errorem de peccato originis ac vehementiorem contra adversarios scribendi agendique modum, illius ævi genio familiarem, excipias, ob præclara in orbem eruditum et ecclesiam merita laude dignissimo, quique tot veritatis testes oblivioni eripuit, totque scripta eximia longo situ squalida ab internecione vindicavit, nullum plane honoris monumentum fuisse erectum, imo ne sepulturæ quidem locum ab se ullo studio investigari potuisse.

Nulla autem macula facile Viri diligentis-

tiſſimi famam magis inquinaviſſe mihi videtur, quam fœdiſſimum furti crimen illi aſperſum. Quanquam enim MORHOFIO (k) minus reprehendendi illi videantur, qui publico bono interdum compilarunt bibliothecas, ab invidis celatas, et ad uſum denegatas, atque idem hoc nomine noxam Flacii quodammodo elevare haud dubitaverit: magis tamen mihi arridet Burckh. Gotthelfi STRUVII ſententia, cui hoc facinus ſimile videtur eorum inſtituto, qui furantur, ut dent pauperibus (l). Haud quaquam enim facienda eſſe mala, ut eveniant bona, omnes chriſtianis imbuti ſacris ex Pauli effato Rom. III. 8. novimus.

Fateor autem ingenue, hoc, quod ILLYRICO impingitur, ſcelus mihi nondum probatis atque omni exceptione majoribus teſtimoniis evictum videri. Primus, ſi Keckermannum excipiam, quod ego quidem ſciam, qui hanc ſive hiſtoriam, ſive fabellam in famam miſit, fuit Melchior ADAMI, ad quem potiſſimum alios, iſtam crambem recoquentes, provoca-

(k) in Polyhiſt. liter. Lib. I. Cap. IV. p. 35.

(l) in Diſſert. de doctis Impoſtoribus, p. 75. ſq.

vocare animadverti. Ejus hæc sunt verba (m): *Tertium* (inter scripta Flacii præcipue commendanda) *locum facile obtinet Martyrologium illud* (n) : *quod hac occasione compilatum ferunt. Contexuit Abbas Joannes TRITHEMIUS catalogum auctorum. Hunc cum vidisset Flacius, temperare sibi non potuit, quin dissimulata persona et habitu, aliquot in Germania Monasteriorum bibliothecas perlustraret, quos commode posset, historicos clam auferret, atque isto adminiculo librum, qui Catalogus testium veritatis indigitatur, conscriberet.* Hisce alii deinde corollarii loco istam de cultro Flaciano narratiunculam adjecere. In margine Melchior Adami fontem, unde sua hausit, indicat, Bartholomæi videlicet KECKERMANNI Methodum historiarum, unde integrum nobis locum suggessit Petrus BÆLIUS (o). En tibi illum : *Ceterum quod attinet ad insidiosos occultatores historiarum, certum est, in Bibliotheca Vaticana, et aliis Bi-*

(m) in Vita Flacii, Vitis Germanorum Theologorum inserta, p. 475. edit. Francof. A. 1653. in 8.

(n) Per Martyrologium illud intelligit Adami Catalogum testium veritatis, quem nonnulli, ejus relatione decepti, ab illo minus recte distinguunt.

(o) in Diction. Hist. et Crit. T. II. f. 1542.

Bibliothecis Italiæ, inprimis autem in Bibliothecis Monasteriorum, clam servari multos historicos superiorum seculorum, qui de fraudibus Pontificum, deque abusibus Ecclesiæ Romanæ, et contra de conservatione veræ doctrinæ, etiam sub mediis tenebris Papatus, scripserunt, id quod manifeste patet ex Catalogo autorum, edito ab Abbate Jo. Trithemio, qui istos autores ex Bibliothecis ante annos paulo plus centum collegit: quem Catalogum cum vidisset Matthias Flacius, temperare sibi non potuit, quin dissimulata persona et habitu aliquot in Germania Monasteriorum Bibliothecas perlustraret, artemque arte eluserit, quos commode posset historicos clam auferret, atque adeo eximium istum librum, qui dicitur Catalogus testium veritatis, isto adminiculo conscriberet. Vellem, diserte in re tam gravi indicasset Keckermannus, Flacio haud coævus, sed paulo junior, unde illam historiolam acceperit. Inter omnes enim constat, Flacium plurimos habuisse hostes longe infensissimos, qui atrocissimis satyris ac libellis etiam famosis stigmata ejus nomini imponere annisi sunt. Si ergo ex horum lacunis, quod suspicor, derivata sit illa criminatio, quis, sodes, æquus rerum judex eam fide dignam censeat? Testis enim, qui de accusatoris subsellio surgit, audiendus non est.

Ipse Melchior Adami rem hanc, addita vocula *ferunt*, ita commemorat, ut eam pro

pro indubitata veritate habuisse haud videatur, imitatus L. Annæum Senecam, his verbis alicubi (p) usum: *Quod historici faciunt, et ipse faciam. Illi cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, aliquam rem nolunt spondere, sed adjiciunt*, penes autores fides esto, (vel, quod idem est, ferunt).

Honestiori sane ratione ex libris tam editis, quam manu exaratis sua veritatis testimonia conquirendi commodæ viro maxime industrio non defuerunt occasiones, ut adeo nefario haud opus fuerit furto. Multas Monasteriorum Bibliothecas probe instructas in Saxonia tam superiori, quam inferiori, ac in aliis etiam regionibus, evangelicæ doctrinæ addicti in sua jam tum potestate habebant, unde ad laudabile institutum suum proficua vel suopte studio, vel amicorum, quibus gavisus est non paucis, opera honestissime congerere potuit. Habuit Flacius noster cum eruditis in adornando Centuriarum Magdeburgensium opere præstantissimo sociis suos emissarios, viros probos atque ingenuos, non in Germania tantum, sed exteris etiam regionibus patronorum ope vetusta monumenta diligentissime investigantes, e quibus Marcus Wagne-

(p) Natural. Quæstion. Lib. IV. Cap. III.

Wagnerus, Wilhelmus Radensis (q), et Bernhardus Niger (r) præcipue mihi cogniti sunt. De felici inprimis Marci WAGNERI, Frimaria Thuringi, industria ex variis ad eum epistolis, libello ejus Germanico de Regno Thuringiæ olim in Pagos diviso insertis, copiose exposuit Caspar SAGITTARIUS (s). Is jam hujusce instituti causa A. MDLIII. exeunte Februario Hafniæ diversatus fuit. Prodiit autem primum FLACII Catalogus testium veritatis Basileæ A. MDLVI. mense Martio in forma octuplici, atque adeo ad hunc concinnandum membranis vel schedis, aut excerptis ex vetustis Codicibus a Wagnero in itineribus collectis jam uti feliciter poterat. Cum Viris doctissimis frequens literarum intercessit Illyrico commercium, quorum suppetias avide ac sæpe haud frustra quæsivit (t).

Re-

(q) vid. Flacii Epistolam ad Cornelium Gualterum et Georg. Cassandrum in Epistolis, vel a Belgis, vel ad Belgas scriptis, p. 71. sqq.

(r) vid. b. Jo. Christoph. WOLFII Conspect. Supellect. epistol. p. 7.

(s) in Introductione in Historiam ecclesiasticam, Cap. XIII. p. 249. sqq.

(t) Exempli causa vid. Epistolas Flacii ad Hart-

Reclamitat vero insuper huic narratiunculæ ipsa vitæ Flacianæ historia, ex qua apparet, ab eo tempore, anno nempe MDXLI. ætatis circiter vigesimo primo, quo in Academiam Wittebergensem pervenit, ad annum usque MDLXII. Illyricum pedem suum extra Saxoniam superiorem et inferiorem haud posuisse. Nosse igitur velim, quænam sint illa Monasteria, e quorum bibliothecis Codices vel furtim sustulit, vel mutilatos reddidit Flacius, qui, uti modo innuimus, A. MDLVI. Catalogum suum edidit. In Saxonia certe superiore ac inferiore hac illi arte vulturia opus haud erat. Extra has vero provincias eo temporis intervallo itinera non instituit, quod ex Vita ejus a Melchiore Adami et Jo. Balth. Rittero descripta, et narratione actionum et certaminum suorum ab ipsomet Flacio literis consignata (u) elucet.

Wilh. Ern. Tenzelius in Colloquiis

Hartmannum Beyerum, Theologum Francofurtanum, exaratas in Jo. Balth. Ritteri Vita Flacii, p. 49. sqq.

(u) Exhibuit eam Conradus SCHLUSSELBURGIUS in Catalogi Hæreticorum Lib. XIII. p. 802. sqq.

menſtruis (x) ex epiſtola quadam Pauli Eberi ad Chriſtianum Farenhaid A. 1563. d. 15. Oct. ſcripta hunc locum depromtum dedit, *Illyricus, prætextu profectionis inſtitutæ in patriam, perreptavit totam Stiriam, Auſtriam, et vicinas regiones, adhuc conquirens libros ad aureum illud opus Hiſtoriæ, plus auri tamen, quam Codicum ſecum Ratisponam advexit, ut ajunt.* Oppido autem fallitur Tenzelius, ratus, de uno eodemque itinere Ebero et Melchiori Adami ſermonem eſſe, unumque alterum elucidare. Hic enim de itineribus loquitur ante editum teſtium veritatis Catalogum, qui A. 1556. lucem aſpexit, ſuſceptis, ille vero de peregrinatione anno demum 1563. in Stiriam, Carinthiam, aliasque regiones peracta, ut præter alia ad Centurias hiſtoriæ eccleſiaſticæ promovendas ſubſidia congereret.

Cæterum ſciſcitari hac occaſione mihi liceat ex Lectoribus eruditis atque cordatis, quibusnam teſtibus probatis ac fide dignis Flacio coævis fulciri queat illa Keckermanni et Adami hiſtoriola, et annon potius in fabellarum cenſum ſit referenda. Non autem me morantur ea, quæ in invectivis ſuis ſic dicti Scholaſtici Wittebergenſes, aliique Flacii hoſtes aperti de com-

(x) A. 1689. p. 16. ſq.

compilatis Philippi Melanchthonis ſcriniis ipſi objecerunt, a qua criminatione ipſe ſemet ſatis jam vindicaſſe videtur.

LVIII.

JO. CHRISTIANO LANGIO.

Allati ſunt mihi faſciculi quatuor MSti, quibus integra famoſi BOEHMII doctrina comprehenditur, ac ſchematibus tabulisque ſynopticis ſummo ſtudio exponitur. Quid de Viri ſcriptis ſentiendum, jam non definiam, cum nec locus ſit, nec, cum nimis dubia illorum ſit exiſtimatio, præceps in judicando eſſe ſoleam. Interim inter reliqua mea MSta, et quidem in ſcrinium librorum vulgo prohibitorum et ſuſpectorum reponenda et aſſervanda merito duxi, meque magnam aliquando apud Bœhmianos aſſeclas, quorum maxima in Belgio inprimis et Anglia etiamnum turba, gratiam inire, et alia, mihi et gratiora et utiliora, pro iſtis habere poſſe ſpero. Auctor nomen ſuum non appoſuit, verum illum Electoris Brandenburgici Miniſtrum, olim hic Francofurti degentem, vel, ut loqui amant, Reſidentem fuiſſe, nomine SCHLEZERUM, is, qui mihi una cum magno epiſtolarum ejus apparatu vendidit,

 per-

persuasum mihi voluit. Nactus præterea sum Hugonis GROTII aureolum de veritate religionis Christianæ opusculum, et quidem primam Parisiis ab ipso publicatam editionem, manu auctoris, ast quanti Viri! hinc inde correctam et auctam. Dono mihi dedit hoc cimelium Vir illustris LUDOLFUS, Cameræ imperialis Assessor gravissimus, postquam librorum meorum collatorum nuper apparatum, penuriam dicam, perspexerat. Habuit vero illum a Parente, Jobi LUDOLFI fratre germano, qui Reginæ Sueciæ CHRISTINÆ jussu GROTII Bibliothecam, quam post ejus obitum emerat, digessit atque transmisit, et hunc librum in aliquod laboris præmium, ut manu sua libello inscripsit, sibi servavit. Non magni equidem sunt momenti, quæ adscripsit GROTIUS; ast tanta erga hunc Virum præstantissimum mea est veneratio, ut, si absque reverentiæ et religionis læsione dici posset, id quod de sacris literis dictum apponam: Dolendum esse, si vel jota pereat, quod a tanti Viri manu est. Nec facile, Halensibus ultro cimelium offerentibus, cum LIPSII calamo scriptorio, quam Mariæ non sine pompa ac fastu dicavit, permutarem. Ignosce joco. A. MDCCXIII. d. XV. Martii.

LIX.

D. JO. ANDREÆ DANZIO.

Dum ſummam tuam , qua me , cum ante aliquot annos apud vos morarer, excepiſti , humanitatem mecum reputo, erubeſco plane , quod gratam tibi mentem teſtari hactenus nequiverim. Ex quo enim , peractis per Saxoniam inferiorem , Belgium et Angliam itineribus , in patriam redux factus eram , Cæſaris electio et coronatio otium fecit , animumque diſtraxit , poſtea totum occupavere connubialia feſta ; tandem mutato lares in Angliam transferendi conſilio , omnis mea cura in Bibliotheca in ordinem redigenda, novisque in itinere collectis acceſſionibus augenda , fuit. Prægnantes ſatis , ſpero , tibi , Vir humaniſſime , videbuntur ſilentii cauſæ. Quis enim tempore electionis et coronationis de feriis cogitare potuit? quot dies , tot feriæ , triumphi et pompæ ſolennes. Quilibet accinebat :

Tempus adeſt : plauſus , aurea pompa venit.

Reliquum temporis amici , librariam meam ſupellectilem , curtam licet, inviſentes, abſtulere. Quid de nuptiis dicam? Ridebis hominem tanto in libros Muſasque amore flagrantem , ut innatum procreandi liberos

ſtimulum reſtinguere atque negligere, ætatique degendæ in Anglia quærere locum latebroſum, Muſisque ſacrum inſtituerit firmiſſime. Nec mutaſſem animum, niſi clima, tetro a carbonibus foſſilibus odore infectum, victus ratio, et denique peſſimi, juxta vetus de inſularibus proverbium, hominum tum temporis plane furentium mores obſtitiſſent. Unicum quod allicere poterat, Bibliothecæ erant inſtructiſſimæ, quos theſauros ipſi negligunt, ſi paucos excipias, qui gentis gloriam attollunt atque conſervant, exteroſque inducunt, ut ſibi perſuadeant, Muſas in hac inſula ſedes fixiſſe. Eſt igitur, quod mireris, tam paucos eſſe, qui has colunt, ut vel in una noſtrarum Academiarum plures eruditos viros, quam in latiſſima regione, reperias.

Indigni igitur, quod tantis ſubſidiis inſtructi ſint, quibus, ſi noſtri gauderent, melius uterentur. Indignabundus igitur receſſi, ſtatimque poſt reditum divina, quam veneror, providentia honeſtiſſimam fœminam obtulit, Muſis ac libris, quam rara avis in terris! amicam. Certe, niſi plane explorata mihi ejus fuiſſet mens, perſuaſumque habuiſſem, illam me, librosque meos pari amore proſecuturam eſſe, nec pactum acceſſiſſet, conjugalem amorem eum, qui erga bonas literas literatoſque

altos

altos in corde radices cepit, non minuere, nec infringere debere, constanti semper odio hymen aversatus fuissem. Primis tamen mensibus me paululum indulsisse, remissioremque in præstandis, quæ amicis debentur, officiis fuisse, et seculi moribus meoque affectui dabis. Ast gravissima demum moræ excusatio erit Bibliothecæ instructio. Quanto enim in hac ordinanda labore opus fuerit, ex curis, quas in præstantissima tua, Vir Celeb. impendis, facile conjicies. Postquam enim optatas ac stabiles Musis meis sedes figere licuisset, omnia in meliorem ordinem redigenda non solum, sed et incrementa suo loco reponenda erant. Utinam præsens oculis tuis perlustrare posses, quanta spolia, (thesauros dicam, nam multo labore nec parvo sane pretio constiterunt,) ex itineribus reportaverim. Præfiscine dixero, quatuor millia voluminum numerus excedit, omnium vero librorum meorum ad duodecim millia excrescit. Multa essent, quæ tuis etiam usibus inservire possent, nisi, quod doleo, locorum, quæ nos sejungit, distantia prohiberet. De unico saltim cimelio, quod in manus meas nuper incidit, nunc dicam. Nimirum cum Lugduni Batavorum agerem, plurimosque libros a Jo. Vivie, veterano hujus Academiæ Bibliopola, emerem, monstrabat mihi Celeb. GOLII Lexicon Arabicum, propria præstantissimi

Viri manu ita emendatum, ut singulæ paginæ novas accessiones plurimasque emendationes satis eleganter adpictas haberent. Asserebat optimus senex, se ab illo, quo GOLII Bibliothecam sub hasta vendidisset, tempore, hoc volumen studiose asservasse, mihique præ aliis, quod meum in libris conquirendis studium cerneret, concessurum. Majus æquo pretium statuerat, nihilominus animum non abjeci, cum tui memoria succurreret, remque gratissimam me tibi præstiturum spes esset, coemi. Offero itaque tibi illum, lubentissimeque concedam, hac conditione, ut meam supellectilem alio MSto, ne detrimentum patiatur, ornare velis. Non renues, spero, nec deerit tibi Codex vel Græcus vel Latinus, cujus honesta commutatione et tibi et mihi consultum voles. Qui has tibi tradet amicus charissimus, perlustravit volumen, tibique de illo deque rerum mearum statu, rationem reddet. A. MDCCXIII. d. X. Maji.



LX.

D. BURCKH. GOTTH. STRUVIO.
Hiſtorico et JCto Jenenſi.

Summa cum voluptate mecum recolere ſoleo, quot quantosve Viros peractis nuper itineribus adire, illisque innoteſcere mihi contigerit; aſt ſimul doleo, quod hactenus per varia impedimenta, de quibus ad Celeb. Virum Dn. DANZIUM, Collegam tuum, fuſius perſcripſi, dulci ipſorum commercio per literas perfrui mihi negatum fuerit. Poſtquam igitur otium nactus ſum, nihil mihi prius eſſe debebat, quam ut Viros optimos ſalutarem, illisque pro præſtitis officiis gratias agerem. Inter quos tu, Vir Celeberrime, ſi vel ſummam tuam eruditionem, vel ſingularem plane humanitatem ſpectem, inter primos occurris. Benevole enim me non ſolum excepiſti, ſed et egregia ſelectiſſimorum librorum ſupellectile tua, eruditisque ſermonibus recreaſti, aureolumque CHIFFLETII libellum, quem *Veſontio* inſcripſit, cum duplex ejus tibi, mihi vero longe exoptatiſſima copia fuerit, cum unicus hicce liber ex Chiffletiorum operibus mihi deeſſet, benigne æquiſſimoque pretio conceſſiſti. Pro omnibus gratias tibi debeo quam maximas; ut vero aliquo modo referrem, offero tibi Catalogum librorum,

quorum duplex mihi exemplum, idque eo lubentius facio, quod cognoverim, te præstantissimi SCHUBARTI quondam vestri Bibliothecam coemisse, variosque libros, qui vel studia tua non juvant, vel jamjam in tua Bibliotheca extant, æquo pretio vel permutationis jure aliis largiri. Ita enim decet librorum studiosos ac amantes, ut hoc modo sese invicem adjuvent. Mihi certe gratissimum erit, si quidam ex meis tibi arrideant.

Quicquid illorum sit, in schedula notabis, mihique cum Catalogo meorum tuorumque, quibus scilicet carere potes, quam primum remittes. Dabo operam, ut MStorum meorum Indicem, si modo per alia negotia licuerit, texam, eo quoque fine, ut tecum aliisque Viris probis communicem, si quæ forsitan sint, quorum apographa desiderentur, quæ lubenti animo impertiam, modo vicissim suorum, quibus gaudent, copiam non denegent. Honestum tale commercium cum Viris quibusdam integerrimis jamjam optime mihi successit. Nec tibi id ingratum fore, confido. Quamplurimi enim mihi sunt de rebus Landgraviorum Thuringiæ Hassiæque inediti Codices, aliique, qui tibi minime displiceant. Quare jucundissimum præstabis mihi officium, si eorum, quæ vel ipse possides, vel quorum ex vestra Bi-

Bibliotheca publica apographa accurare possis, designationem dederis. Mirari certe satis nequeo, nullum locupletissimæ, qua Academia vestra superbit, Bibliothecæ extare Catalogum. Probe equidem scio, quantum in illo conficiendo tu ipse desudaveris, nullusque dubito, quin mecum consentias, in summam vestræ Academiæ gloriam, magnumque Reipubl. literariæ emolumentum cessurum, si rite confectus luci publicæ detur. Academia Lugduno Batava suæ Bibliothecæ indicem multo auctiorem denuo prælo Celeb. SENGVERDI cura subjici jussit, Oxoniensis idem, ast utinam majori cum diligentia! curavit. Giessensis Catalogum amicus mihi charissimus Dn. WEBERUS, ut ultimis suis me literis certiorem fecit, dabit. Obsecro te, atque per summa tua in rem literariam historiamque merita obtestor ut diligentissimam egregiamque, quam olim præstantissimæ Bibliothecæ præstitisti, curam non plane abjicias, sed potius enitaris, quo Catalogus ejus, si non integer, MSS. ejus saltim consignatio in publicum prodeat, quod nuperrime GOETZIUS Lipsiensi præstitit. Thesaurus enim absconditus et inutile terræ pondus est Bibliotheca, cujus Catalogus non extat. Quantum vero utilitatis habeant librorum indices probe confecti, non est, quod tibi deprædicem. Ego quidem ultra quin-

quingentos collegi, omnesque, qui e Belgio a Bibliopolis mihi transmitti solent, licet non eo semper, quo decebat, studio exarati sint, asservo. Slusianum, ast quam eximium! hactenus, quod ægre me habet, adipisci nequivi. Si igitur forte fortuna in manus tuas incideret, meam farraginem insigniter ornare posses. Sumtus grato animo refunderem. d. IX. Junii MDCCXIII.

LXI.

GEORGIUS CHRISTIANUS JOANNIS, Historicus Palatinus.

Bibliothecæ tuæ fores quod mihi nuper tam benevole aperueris, haud in ultima felicitatis meæ parte pono. Præter enim insignem, quam reperi juxta admiratusque sum, librorum optimorum, codicumque tam MStorum, quam impressorum copiam, tua maxime frui licuit eruditione pariter ac benevolentia. Quippe,quos possides, thesauros animo etiam complexus es, in omnibus bonarum artium scriptoribus studiose multumque versatus: ut non immerito te βιβλιοθήκην appellem ἔμψυχον, tantum abest, ut me falli putem.

Tum

Tum vero cum eruditione hac tua singularem conjunxisti morum suavitatem, humanitatemque, ut, qui te neget esse comem, facilem, φιλόφρονα, hunc sane iniquum esse dixerim. Quod cum ita sit, non possum, quin mihi gratuler, libensque profitear, nihil mihi evenire potuisse gratius, nil honorificentius, quam in isto tuo Musarum delubro ad tuam adrepere amicitiam. Perge modo, Vir Nobilissime, quod semel fecisti, bene mihi velle, locumque apud te relinquere. Ego, tametsi paribus tecum officiis certare haud possum, ut tamen videas, nemini me unquam pietate erga te, observantiaque concessurum, omnem usque profecto dabo operam. Quod superest, precor, qui tuæ fortunæ auctor est, Deum, det, ut perpetua floreas felicitate, bonisque litteris quam diutissime decori sis ac præsidio. Mihi certe nil optatius erit, quam te prospere semper beateque ætatem exigere, et quem tum eruditione, tum virtute tua mereris gradum, reipublicæ litterariæ non minus quam civilis bono, ad multos annos tueri fortunatissime. Biponti in Vogeso, Eid. Sept. A. MDCCXIII.



LXII.

LXII.

GEORGIO CHRISTIANO JOANNIS.

Quum in tui notitiam pervenire exoptatiſſimum fuerit, literæ tuæ, quibus contractam amicitiam obfirmare voluiſti, acceptiſſimæ extiterunt. Licet enim nimiis in me laudibus onuſtæ, ne dicam graves, eſſent, dandum tamen id tuo erga me amori ſeculique moribus duxi, cum uſu receptum ſolenneque putetur, primas, quibus ſeſe homines ſalutant, literas talibus verborum illecebris ac blandimentis cumulare. Dum vero id, ingenue fateor, mihi minime probetur, haud ægre feres, ſi vices tibi haud reddidero. Nihil igitur erit, quod ad tuas reſpondeam, quam gratiſſimum mihi eſſe, meum in colligenda aliquali bibliotheca ſtudium tibi probari. Eſt vero etiam, quod doleam, ob importunum aliorum adventum te in perluſtranda ſupellectili, me vero præſentia tua doctisque colloquiis perfruendis præpeditos fuiſſe. Aſt ſpes mihi eſt certiſſima jucundiſſimaque, crebriorem occaſionem fore commodioremque, ut tuo meoque deſiderio fieri ſatis poſſit. Ego certe non aditum ſolum, ſed et uſum bibliothecæ liberrimum tibi ſpondeo, de quo ne dubites, ſancte tibi profiteor, unicum

cum in comparanda iſtac finem mihi ſemper fuiſſe, ut meis non modo, ſed et amicorum commodis inſerviat. Quid enim prius, quid optatius literatis hominibus eſſe debet, quam ſtudia invicem promovere? Utinam et tua adjuvare poſſem! nullam ſane occaſionem me prætermiſſurum experiundo cognoſces. Eundem tibi animum eſſe, tua me dubitare non ſinit humanitas, imo tam confidentem, vel etiam audacem me reddit, ut illico liberalitatem tuam tentare, auxiliumque implorare non erubeſcam. Nimirum incidit nuper in manus meas elegantiſſima præſtantiſſimi HACHENBERGII Hiſtoria Friderici Victorioſi Palatini MS. quæ ob ſummam ſtyli elegantiam, rerum copiam, narrationisque gravitatem adeo perplacuit, ut, cum iniquum nimis, centum ſcilicet florenorum, pretium exigeretur, plagium nolens volens commiſerim. At licet noctes diesque in deſcribendo cum Amanuenſi deſudaverim, poſſeſſoris tamen invidia ad exoptatum finem perducere non ſivit, ſed tertia plus minus parte carere coegit. Inſigne igitur præſtares mihi officium, ſi tuo beneficio, quod reliquum eſt, nanciſci queam. Non denegabis, ſi potis es, pro ſingulari tua benevolentia ſpero. Nihil eſt, quod viciſſim a me expectare non poſſis. Exige modo, quæcunque in poteſtate mea ſunt, quam li-

ber-

berrime. Te vero iſthoc cimelio inſtructum eſſe, confido, cum rerum Palatinarum diligentiſſimus feliciſſimusque ſis ruſpator. 1713. d. 4. Oct.

LXIII.

GEORGIUS CHRISTIANUS JOANNIS.

Quanti cum modeſtiam animi tui, tum προθυμίαν ac de quibusvis bene merendi alacritatem faciam, nolim explicare pluribus, ne tibi denuo moleſtus ſim. Potius gaudeo, occaſionem mihi datam eſſe, qua teſtatum facere poſſim, quam hilare tibi, lubenterque inſerviam. Scilicet, quum HACHENBERGII de Friderico Victorioſo annales MSti mihi ſint, tuis eos uſibus, quandocunque quidem volueris, oppido quam libens ſubmittam: tametſi non ſit, cur illis deſcribendis operam enaves. Eorum namque typis evulgandorum diu eſt quod inierim conſilium (y): quo fine etiam ſcri-

(y) Haud proceſſit hoc conſilium. Edidit vero ex MSto Vffenbachiano hos Hachen-

ſcriptores, e quibus eos collegit Hachenbergius, pleroſque jam evolvi, et, quo unusquisque faciat, ſtellulis appoſitis curatius, quam quidem in exemplaribus MStis factum, adnotavi. Addam, præter ſtemma Leonſteinianum, quod paſſim Hub. Thom. LEODIO, quamvis perperam, adſcribi videas (Phil. enim REINHARTUM, qui Comitum Leonſteiniorum a conſiliis olim fuit, auctorem habet) fortaſſis etiam Hervici Amſterdami de laudibus Friderici hujus orationem, dicti Leodii de vita Friderici II. annales, quos ad exemplar MStum, a celeberrimo THOMASIO mecum non ita pridem communicatum, haud præter rem exegi: nec non Pantaleonis CANDIDI de Joanne I. Bipontino lib. IV. verſu ſcriptos, et quod multa obtineant paſſim non obvia, adhæc vero raro inveniantur, utique, qui recudantur, haud indignos. Quin, niſi moram propoſito injeciſſet præſens rerum ſtatus, difficilis is profecto atque acerbus, prelo jam commiſiſſem. Sumtus namque facere decrevit J. R. Dulſſeckerus, bibliopola Argentoratenſium haud incelebris. Quid igitur animi tibi huc ſit, fac ſciam:

chenbergii Annales Vir Clar. Jo. Phil. KUCHENBECKERUS Jenæ A. 1739. in 4.

quæ velis faciam, idque quam cupidissime. Kemnatensis vitam Friderici, quam sæpissime omnium citat HACHENBERGIUS; frustra hucusque quæsivi; frustra etiam TRITHEMII de rebus gestis Friderici hujus Victoriosi libellum a FREHERO editum, cui Finariensis de dignitate Principum subjunctus est (z): nec scio, ubinam loco-

(z) Est mihi ille libellus ad manus, a FREHERO cum notis et additionibus variis Heidelbergæ A. 1602. in 4. editus, cui accessit Petri Antonii Finariensis de dignitate principum liber, Friderico Victorioso nuncupatus. Notandum vero, TRITHEMIUM haud singularem de rebus gestis hujus Electoris Palatini librum scripsisse, sed hanc historiam decerptam a Frehero esse ex ejus Annalibus Hirsaugiensibus, quos repetito studio copiosius et accuratius A. MDXIV. in Abbatia sua Herbipolitana de novo recoxit, et in tantum amplificavit, ut duobus prægrandibus voluminibus descripti, quadruplum primæ editionis, quæ sola tum vulgata habebatur, confecerint. Plenum autem illud Chronicon Trithemii Hirsaugiense repetitæ elaborationis, duos in tomos divisum, tandem prodiit typis Monasterii S. Galli, A. MDCXC. in fol.

locorum cum hunc, tum illam tandem inveniam. Tu, ſi me vel indicio, vel ope juvare potes, amabo adjuta. Nec enim mihi ſolum, ſed toti reipublicæ litterariæ rem facies longe gratiſſimam. Quod ſi porro Philippi Ludov. HOFMANNI Genealogia Principum Palatinorum Rheni tibi ſuppetit, æternum me tibi devincies, ſi ad pauculas modo horas ipſius uſum mihi conceſſeris. Id quod hoc confidentius abs te peto, quo liberius tuam mihi pollicitus es operam. Ego, uti me meaque omnia tibi permitto, ita precor, ut quam exoptatiſſime valeas, tuumque mihi perpetim ſerves affectum! Biponti a. d. III. Id. Octobr. an. MDCCXIII.

LXIV.

GEORGIO CHRISTIANO JOANNIS.

Nuperrimo deſiderio meo plusquam ſatis feciſti, dum HACHENBERGII Annales benevole non modo mihi, ſed univerſo orbi literario offerendi animum monſtraſti. Magnas tibi gratias ago, quod petitis meis annuens, bene merendi promtitudinem teſtari volueris, majores vero, imo maximas habiturus ſum tibi, ſi et mi-

hi et publico ſimul gratificeris. Non enim illorum gregi annumerari velim, qui non niſi propria commoda curant, vel, quod pejus adhuc eſt, quævis corradunt, modo ut poſſideant, vel denique, quod peſſimum, invidia adeo occœcantur, ut inſignibus, quæ fortuna, ut prodiga eſt, talibus Harpyis concedere ſolet, cimeliis nec ipſi frui, multo minus cum aliis de iis lætari velint. Mihi ſane ipſi gratulor, imo glorior, de meliori luto fictam mihi mentem eſſe, quæ adeo a dictis vitiis libera eſt, ut uno eodemque die omnia anecdota mea, et quæcunque modo alicujus ſunt momenti, ex penu mea depromere, amicisque ad eadem evulganda copiam facere, nullus dubitarem, modo in Reipubl. Literariæ commodum vergat. Facile inde cognoſces, quantopere mihi tuum in edendis Hachenbergianis annalibus ſtudium probetur. Quam lubenti igitur animo Kemnatenſis vitam Friderici Victorioſi, HACHENBERGIO tam ſæpe laudatam, vel etiam TRITHEMII de ejusdem principis rebus geſtis libellum largirer, ſi mihi ſuppeterent, aut unde haberi poſſint, vel procurare, vel ſaltim indicare poſſim. Utinam STRUVIUS, qui majores FREHERI Tomos Germanicorum ſcriptorum edet, hunc quoque a Celeb. Viro olim publici juris factum Trithemii librum adjungeret, vel etiam Sandius, Bibliopo-

la

la noster, qui omnia a Frehero in lucem prolata in unum colligere molitur, id præstaret! Sed ille extra sphæram reputabit, hic vero Bibliopolarum mores sequetur, qui multa parturiunt, ast parum vel nihil enituntur. Nec HOFMANNI genealogiam Palatinorum Rheni principum, quod equidem doleo, suppeditare potero. Aegre sane me habet, quod in his inservire tibi nequeam; erunt tamen aliqua tibi forsan non injucunda, quæ ab amico quodam meo comparare possem. Perscripsit is nuper, se inter alia egregia manuscripta veteris ævi monumenta, quibus gaudet, possidere literas Friderici tui Victoriosi ad Imperatorem ejusdem nominis tertium de Præfectura Hagenoensi (*Landvogtey Hagenau*), quam Sigismundus Imp. Ludovico Palat. ejusque hæredibus Anno 1423. ut inter alios Bernh. HERTZOG Lib. 9. Cap. 3. Chronici Alsat. p. m. 150. et 152. testatur, ob solutos 50000. nummos, quos florenos vocant, pignori dedit.

Scriptæ sunt literæ illæ Heidelbergæ, anno 1471. Habet porro fœdera, unum, quod Marchio Badensis Carolus contra Fridericum anno 1463. cum quibusdam Principibus, de quo in Hachenbergio me legisse memini, iniit, alterum, quod eodem anno cum Nobilibus seu Equestri ordine sancivit. En verba ipsius: *Verbündniss*

Marggraff Carlen von Baden, *gegen den Churfürsten Friederich von der Pfalz*, anno 1463. Item: *Verbündniſs der Ritterſchaft*, *ſo mit obgedachtem Marggraff Carlen niedergelegen ſind.* A. eodem. Horum apographum non denegabitur mihi, tibi vero, ſi aves, ambabus, quod ajunt, manibus a me porrigetur. Spes etiam affulſerat, cum nuper BROWERI Sidera Sanctorum a me per Acoluthum Müllerum noſtrum exigeres, me de S. Pirmino in inſigni quodam Codice meo, in membranis exarato, quædam reperturum. Dubito, an præ anguſtia temporis prægrande iſtud volumen animadverteris. Martyrologium, ut vulgo loqui amant, vel potius Hagiologium eſt, ultra centum Sanctorum vitas complectens, quod aliquando, ſi Deus voluerit, Hieronymique collatio, quam nunc ſacris diebus præ manibus habeo, abſoluta erit, cum editis conferam, nullus dubitans, quin multo meliores, (forſan etiam nondum vulgatas) vitas in illo contentas ſim deprehenſurus, quam ſpurias ac interpolatas illas a SVRIO aliisque editas. Verum Sanctus tuus Pirminus in meorum cœtu haud comparebat. Boni igitur conſules voluntatem meam, de cujus in te præprimis integritate atque propenſione ne dubites, rogo atque obſecro. d. 26. Oct. 1713.

LXV.

LXV.

GEORGIUS CHRISTIANUS JOANNIS.

Redit ad te ſartus, ut puto, tectusque, quem nuper benevole mecum communicaſti, BROWERUS: nec ſine multa redit gratiarum actione. Quam, cum paria officia tibi præſtare nequeam, hoc facilius admittes. Deſcripſi vitam Pirminii olim noſtri, per Othlonum, vel potius Warmannum ſcriptam: quam ad editionem, quam SURIUS nobis dedit ac MABILLONIUS, ille quidem ad III. Nov. hic ſæcul. Benedictin. III. P. II. p. 136. exigere animus mihi eſt, ſi modo Deus et fortuna votis adſpirent. Quum enim Mabillonii liber carus omnino ſit, rarusque, neſcio ſane, ubinam locorum illum invenire liceat. Surium vobis eſſe, non prorſus deſpero. Cæterum Broweri quædam et corrigere et illuſtrare, diu eſt, quod mecum conſtituerim, ſpeciatim quod ad cœnobium attinet Hornbacenſe, vicinum nobis, ditionisque nunc Bipontinæ. Utrum vero quid eniti liceat, θεῶ ἐν γούνασι κεῖται. Manum admoverem operi, ſi COINTII Annal. eccleſ. Francor. VALESII Notit. Galliar. BROWERI Annal. Trevirenſes, aliique id genus libri mihi ſup-

peterent. Comparandis autem (ut ad reliqua epiſtolæ tuæ deveniam) Friderici Victorioſi ad Imp. Fridericum III. litteris, A. MCCCCLXXI. ſcriptis, non eſt, cur operam opemque impendas: eas namque in FUGGERI ſpeculo honoris Auſtriaci (*Oeſterreichiſchen Ehrenſpiegel*) jam publici juris factas, reperire eſt. Fœderum vero a Badenſi adverſus Fridericum initorum formulas ſi conſequi poſſes, gratiſſimum mihi eſſet, quamvis neſciam, an diplomatum quid, litterarumque publicarum, uti quidem primo facere decreveram, ſubiicere velim. Eſſent quidem, quas appendicis loco ſubjungere liceret: ſiquidem in tabulario Bipontino plures huc facientes latere novi. Sed, uti dictum, nunc quidem nil certi cum animo ſtatutum habeo ac deliberatum. Utrum Sandius Freherianorum uno volumine comprehendendorum conſilium inierit; certo ſcire pervelim. Eſt enim (quod tibi in aurem dico) et alius quidam bibliopola, et is quidem non incelebris, qui id facere animo præſumſit: eoque fine non meam ſolum requiſivit operam, ſed ſuaſu etiam meo, litteris ad Illuſtrem LEIBNITIUM ſcriptis, id operam dedit, ut e Wolfenbütelenſi, in quam Freheriana magnam parten tranſlata eſt, ſi quæ viri ἀνέκδοτα haberentur, erueret. Biponti III. Eid. Novembr. A. MDCCXIII.

LXVI.

LXVI.

GEORGIUS CHRISTIANUS JOANNIS.

Redit ad te Catalogus bibliothecæ tuæ, teſtis omni exceptione major, quantum bonis tribuas litteris, librisque. Hachenbergii vero oratio pace tua mecum ibit ad montes Vogeſi, reditura tamen, ſimulac eam expediero. Hiſtoriam Friderici Victorioſi vadis interim retineas loco, et cum tibi Barlandi, Hincmari, aliorumque, quos fruſtra quæſivi, copia ſit, laboribus tuis nonnihil ſubceſivi ſurripias temporis, ad loca, quæ nondum inſpicere mihi licuit, inſpicienda, illucque, quo faciunt, ſtellulis vel aliis ſignis referenda. Ne vero grave tibi ſit, quod id petam. Peto enim litterarum cauſa, et quidem a te, quem litteris ornandis juvandisque natum, deditumque eſſe, mecum norunt omnes, prædicantque. Raptiſſime abituriens Francof. prid. Kal. Maji A. MDCCXIV.



LXVII.

GEORGIUS CHRISTIANUS JOANNIS.

HACHENBERGII de præſtantia Palatinatus orationem, quam nuper benevole mecum communicaſti, his tibi, non ſine grati teſtificatione animi, lubens meritoque defero. Tum vero, quod nuper abs te petii, repeto; ut ſcilicet ſtudiis tuis, negotiisque, ſi fieri poteſt, nonnihil decerpas temporis, ac loca auctorum in Hachenbergii hiſtoria nondum a me evoluta evolvas; ſpeciatim vero, utrum unusquisque ad rem, cujus gratia adducitur, faciat, diſpicias, et quorſum proprie pertineat, ſignis additis, ut ego quidem feci, notes. Facies ſane hoc ipſo rem non mihi ſolum, ſed toti reip. litterariæ quam maxime gratam. Quænam vero loca illa ſint, ſine negotio cognoſces, ſi modo indicem locorum peculiari plagula a me comprehenſum, vel partem modo illius frontiſpicio libri a me præmiſſam, inſpexeris. Matthiam Kemnatenſem, qui omnium creberrime citatur, fruſtra adhuc quæſivi, nec ſcio, ubi reperire liceat (a). De reliquo cum

(a) Freheri ævo aſſervabatur Matthiæ de Kem-

cum ex historiæ Palatinæ tractatione hæc, quæ hic vides, mihi enata sint ζητήματα, non possum, quin ea tecum communicem, rogemque, ut tum ipse ea perpendas, tum etiam aliis, qui in hoc studiorum genere versati sunt, discutienda proponas. Merentur namque mea sententia, ut sub accuratiorem veniant disquisitionem. Speciatim curatius edoceri velim, num Eberhardus, Conradi frater, revera Palatinus fuerit Rhenensis? Fuisse dicit TOLNERUS, et qui ejus vestigia legunt, HUBNERUS ac LUDEWIGIUS. Ego dubito; tametsi haud sum nescius, Alberico, Engelhusio, aliisque Comitem vocari palatii. His vale, Vir Nobilissime, et audaciam hancce meam mihi benevole condona. Biponti Non. Jun. an. MDCCXIV.

Utrum singulæ regni Germanici provinciæ, Conrado I. rerum potiente, suos jam habuerint Comites Palatinos, an vero sequentibus demum eos acceperint temporibus?

An

Kemnaten, quem Theologum, Principis Capellanum et Mathematicum nominat, Historia Friderici Victor. in Archivis Palatinis. vid. ejus Notas ad Trithemium, p. 2.

An regnum Lotharingicum, quando ab Henrico aucupe fuit recuperatum, an vero poſt demum acceperit comitem Palatii?

An qui comes Palatinus regni Lotharingiæ fuit, idem fuerit comes Palatinus Rheni?

Utrum diviſo poſtea in duos ducatus Lotharingiæ regno, ſuperiorem ſcilicet ac inferiorem, unus idemque in duobus hiſce ducatibus comitis munus Palatini obierit, an vero in unoquoque illorum peculiaris comes Palatinus fuerit conſtitutus?

An Comes Palatinus Rheni fuerit comes Palatinus regni Germanici, κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictus, et is quidem ſolus; cum ceteri, qui in Bojaria, Saxonia, Suevia comitum Palatinorum munere functi ſunt, comites tantum Palatini provinciarum fuerint, e. g. Bojariæ, Sueviæ &c. et ſi res ita habet, quando ad id dignitatis culmen dicti comites Palatini ad Rhenum adſcenderint?

Utrum comes Palatinus Rheni aulam Cæſaris ſemper ſequutus ſit, et Cæſare in Saxonia, Bojaria, Suevia commorante, jus in Saxonia, Bojaria, Suevia dixerit?

An

An qui comes Palatinus Rheni fuit, non ceteros modo ceterarum provinciarum comites Palatinos, ſed duces etiam principesque, Othonum jam Henricorumque temporibus, dignitate, auctoritate, eminentiaque anteiverit?

An comites Palatini Rheni tam ampla terrarum ſpatia in utraque Rheni ripa, regnoque Lotharingiæ ſua ſub ditione habuerint, ac vulgo quidem adſeritur?

Utrum bona, quæ Palatinorum in ditione ſunt, omnia Palatinatui Rheni contributa dici poſſint, nec ne? maxime quod conſtet, pleraque illorum in patrimonio eſſe Palatinorum, variis quidem titulis, hereditate, emptione, permutatione, bello &c. acquiſita?

Quænam illa ſint bona, locaque, quæ Palatinis Rheni olim a Regibus et Imperatoribus Germaniæ ſuſtinendæ dignitati Palatinæ fuere contributa?



LXVIII.

LXVIII.

GEORGIO CHRISTIANO JOANNIS.

Non ægre feres pro singulari tua humanitate diuturnum silentium, quod e longa ad acidulas Swalbacenses absentia, aliisque negotiis quam plurimis enatum est. Postquam vero incolumis, Deo duce, domum redii, ulterius differre nolui, quin tibi HACHENBERGII elegantissimam Friderici Victoriosi Historiam debita cum gratiarum actione remitterem. Doleo autem, quod ob easdem, quas supra adduxi, rationes petitis tuis satisfacere nequiverim, nec, quando possim, per varia, quæ me remorantur, impedimenta dispiciam. Multum enim temporis locorum, quam exigis, requirit investigatio, illæque, quas proposuisti, quæstiones altioris sunt indaginis, quam ut solvere e vestigio illas, vel apposite respondere jam possim. Kemnatensis mihi æque ac tibi ignotus est; non periisse tamen scriptorem gravissimum spero, sed in lucem aliquando protrahi posse confido, cum ea nostri seculi sit felicitas, ut studii historici amor indies crescat, multaque egregia veteris ævi monumenta ab interitu vindicentur. Virum in his præter alios se præstat Jo. Joachi-

achimus MULLERUS , qui vastissimum opus aggressus , longe desideratissimam Comitiorum Historiam texere , conatur : sed nonnisi a Friderici I. temporibus usque ad Rudolphum secundum , cum maxime optandum fuisset , ut altius repetiisset. Sed plusquam Cimmerias procul dubio metuit tenebras , quæ antecedentia obvolvunt secula. Priora duo jamdum publici juris fecit volumina, quæ acta inter annos 1440. usque ad 1493. Comitia celebrant , atque illustrant. Quæ an tu jam videris, nescio, ideoque illorum apud te mentionem facio eo lubentius , quod multa egregia, quæ Friderici tui Palatini Historiam ornare possunt, præbeant. Subiitne illa jam dum prælum, an brevi experietur ? Vereor enim , ne typographi tui , quem Dulsekerum esse suspicor, operas alia exerceant. Nam illi, ut audio , animus est, FREHERI aliorumque rerum Germanicarum conlectiones sub incudem revocare , STRUVIIque opera auctiores reddere. Quod equidem institutum non improbo ; nescio tamen, an publico magis quam privato Bibliopolæ atque editoris commodo, ea, qua ineunt, ratione , prospiciatur. Illorum enim, qui istis adhuc carent , æque ac eorum , qui jam instructi sunt , interest , ut tales libri prioribus editionibus ad amussim responde-

ant.

ant. Quod nisi fiat, citata a scriptoribus hactenus loca difficillime ab istis evolvi atque inveniri possunt, his vero ob paucula parvique sæpe momenti emendationes atque accessiones novæ tales editiones non sine magna pecuniæ jactura coemi debent. Omnibus vero consuleretur, si peculiari volumine additiones istæ donarentur publico. Id etiam consilium Sandio Bibliopolæ nostrati dedi, qui REUBERI scriptores rarissimos luci restituere in animo habet. Quod vero is, qui operam ipsi navat, audire non vult, sed multa attexere gestit, etiam quæ novissime prodierunt, atque in omnium manibus sunt, e. gr. Eginhardum ex SCHMINCKII recentissima illustratione, Ligurinum cum RITTERSHUSII notis, et alia. Hoc sane modo et librorum pretium, et moles, qua jamdum orbis literatus laborat, sine necessitate augetur. Sed veteres justæque sunt Eruditorum querelæ, quibus aures tibi obtundere amplius nolo. d. 23. Aug. 1714.



LXIX.

LXIX.

JO. ERNESTO A GLAUBURG
Patricio Francofurtano.

Accedit ſine veſte, h. e. incompactus, Libellus Heraldicus a Jo. Wolfg. TRIER noviſſime editus, quem nondum, ut exiſtimo, vidiſti, ideoque gaudeo, quod in aliqualem gratitudinis teſſeram tibi offerri a me queat. Lætaberis una mecum, quod in Germania noſtra cum reliquis Hiſtoriarum ſtudiis præſtantiſſima hæc quoque diſciplina excoli incipiat. Rem vero præſtabis gratiſſimam, ſi tu harum deliciarum ſtudioſiſſimus optimusque judex mentem de libro explicaveris. Autor novellus admodum in Republica litteraria homo eſt, et nonniſi duobus, quod ſciam, moralibus ſcriptis notus, neſcio an ita hoc in ſtudio ſe gesſerit, ut præconem hæc ejus opella mereatur. Utinam vero et Germani noſtri in hæc ſacra diligentius inquirerent, Germanicæque hiſtoriæ noſtræ utiliſſimo hoc ſtudio lucem afferrent, ob cujus defectum ſummis adhuc tenebris difficultatibusque caligat. Unicus ſane SPENERUS, vir æterna memoria dignus, virum in hoc ſe præſtitit, cujus ſane vitulo ararunt poſtea omnes. Mirandum, nos hactenus tam negligentes hac in par-

te fuiſſe, cum et Galli et Angli excelluerint. Mirari ſatis non potui, quanto ſtudio, quantove apparatu Heraldica ars excolatur in Britannia. Singulis enim ejus Provinciis non ſolum ab antiquiſſimis temporibus miniſtri quidam præfecti ſunt, qui in nobilium jura, titulos, arma, lites inquirunt, quos *Kings of Arms*, i. e. Reges armorum, *Lords Clarencieux*, a Clarentiæ duce, qui primus hoc officii geſſit, (qua dignitate celeberrimus ille Georgius CAMDENUS defunctus etiam eſt) et pluribus aliis nominibus ſalutant; ſed in Regia etiam ſpectabile inſigneque Collegium floret, *the Heraldsoffice* vernacula nuncupatum, cujus illi membra, et ubi res altioris indaginis tractantur atque abſolvuntur, monumentaque adſervantur huc facientia. Maxima ſane cum veneratione vidi ibi illa, cum Londini degerem. Eximiam enim illic conſpexi ſupellectilem Documentorum, Chartarum, Privilegiorum, Inſtrumentorum, Litterarum, quas vocant, Nobilitatis &c. ut taceam ingentia volumina, in quibus familiarum nobilium Genealogiæ deſcriptæ ſunt, quorum tantus apparatus, ut nulla ſit in tota regione, de qua pleniſſima notitia hauriri nequeat. Ubi hoc etiam memorabile atque laudandum, quod quilibet numerata levi pecuniæ ſumma de omnibus, quando et quotiescunque libeat, inquirere queat.

Præ-

Prædicare certe ſatis nequeo liberalitatem facilitatemque gentis hujus in exteros, alias ſatis moroſæ, quod ſcilicet omnibus, advenis etiam, nullibi aditum præcludant, adeo, ut regium etiam tabularium, ſeu archivum in turri, quam vocant, Londinenſi (*the Thower*,) patefactum nobis ſit, ubi præſtantiſſima quævis totius regni monumenta non ſine præ antiquitate reverentia intueri licuit, quæ Celeb. RYMERUS regia vere autoritate in publicum edere cœpit, jamque XII. ni fallor, Volumina in Fol. complevit. Quæ ſumma cum voluptate coemiſſem, niſi tam rara atque cara (quod Regina ultra ducenta exempla typis exſcribi prohibuiſſe dicatur) fuiſſent. Haberent aliæ quoque nationes laudabile ſane exemplum, regiumque plane, quod imitentur. Sed pudeat illas, noſtramque inprimis patriam, ubi talia ex vaniſſimo, ne præjudicia inde enaſcantur, metu premuntur potius, pulvere obruuntur, ac tineis blattiſve in eſcam relinquuntur. Quanta, quæſo, cum moroſitate non exteri modo, ſed et ipſi indigenæ a Principum, imo Civitatum tabulariis arceantur! adeo, ut pro gratia reputandum ſit, ſi apothecæ, repoſitoria, atque loculamenta, in quibus hæc myſteria recluſa, extrinſecus, vel per transſennas, quod dicitur, monſtrentur. Sapienti tibi ſatis! nec noſtræ etiam Reipu-

blicæ ulcus vel callum in his tangam. Nec edocendus hac occasione mihi primum es, de novo, quod Berolini Rex Borussiæ paucis abhinc annis erexit, Officio Heraldico. Vereor autem, ne ex solenni curiæ huic imitandi æmulandique exteros studio vel ad fiscum potius locupletandum, velut novum nummos conficiendi arcanum, quam in Reipublicæ etiam litterariæ commodum prænobilissimæque scientiæ augmentum excogitatum sit. Interim aliqua inde emanarunt scripta, e quibus illud, quod SPENERUS filius, patre tamen sine dubio opitulante, de Fecialium Origine, dignitate, atque officio conscripsit, possideo. d. XXI. Febr. MDCCXIV.

LXX.

JO. ERNESTUS A GLAUBURG.

Tractatum, quem transmisisti, Heraldicum TRIERI nunquam a me visum, tua cum venia perlustrabo, perlustratumque haud vitiatum cum gratiarum actione reddam. Laudandum sane viri conamen, artem, Germania oriundam nostra, patriæ laborantis vindicare linguæ, lectionis opus et laboris haud exigui, Latinæ, Gal-

li-

licæque inprimis, linguarum ignaris nequaquam inutile. Autorem autem, dicam, si licet, quid sentiam, hominem ut novellum in Republ. litteraria, sic peregrinum plane in antiqua et genuina esse Heraldica palam est, in antiquitate, monumentis scilicet et sigillis chartisque aut minime, aut nunquam versatum. SPENERI inprimis nostri arasse vitulo, absque mendacio est. At ut Herculeum sane optimus hic operis Heraldici parte speciali perfecit laborem, primusque Germanorum hac in materia et unicus virum se præstitit; ita parte generali minime scopum tetigit, Gallos sui temporis (antiquorum etenim, et omnium Europæ una eademque erat populorum) scriptores artis secutus, antiquitatis expers, non sua ex culpa, sed officii partim onere et gravitate monumenta antiquiora, adversæ inprimis Ecclesiarum et Monasteriorum religionis, perlustrare prohibitus, partim hominum invidia insulsorum documentis plane destitutus. Ut autem nostrum redeam ad autorem: multos is terminos artis Germanice minime Germanice reddidit, cum interpres non tam verbi, quam sensus rationem habeat necesse sit; e. g. pag. 125. occurrit figura, *pairle* gallice, pythagorica littera latine dicta, quam sic interpretatur, *ein Schæcher-Creuz, oder Gabel*, sic porro: *die Deychseler in Nürnberg*

 füh-

führen im rothen Feld ein silbernes Schacher-Creuz. Cur *ein Creuz oder Gabel ?* vel littera ? cum nomen familiæ et figuræ forma nos doceat Temonem , *eine (Wagen-) Deychsel* esse. &c.

Hos autorum nostrorum errores emendandi animus eo me sæpius induxit , ut paucula , quæ de hac arte monumenta, sigilla, autoresque pluribus annis edocuerunt, cum publico communicare statuerim ; Bibliopolarum vero nostrorum incuria mentem hucusque avertit. Litteris tamen observationes mandabo, quam primum negotia permiserint, mecum ne pereant , posteris spero profutura. Quod de Britannorum studio hujus admones artis, perquam me delectat ; unicum, quod doleo , est raritas atque caritas autorum hujus nationis de hoc argumento. Utinam nostrates resipiscant , exterorum laudanda magis , quam detestanda recipiant, virtutesque vitiorum loco imitarentur ! meliora speranda etiam essent tempora,nec tot patriam inutilia terræ premerent pondera. Interim occasione litterarum tuarum , Vir Humanissime , diplomatibus Nobilitatis, vulgo *Adels-und Wappen-Briefe,* proprium abhinc destinavi volumen, cujus de successu minime dubito , ope fretus amicorum, et tibi spero inserviturum.Heineccium nostra patria si haberet , multa ex

ex latebris in lucem prudentia ſua , Catholic. ſaltem eccleſiarum monaſteriorumque e tabulariis exemplo Corbejenſ. aliorumque, quin reduceret, nullus dubito. Bibliothecarium interim et Canonicum S. Bartholomæi, Dominum Straub, iterum atque iterum tibi commendo, ut et Dn. Decanum ejusdem eccleſiæ, quem omnia Eccleſiæ ſuæ documenta ſumma perluſtrare cum diligentia audio, viros certe humaniſſimos, quorum amicitiam adipiſci ſi queas, multum tibi profuturam exiſtimo. Novum quod attinet, Berolini quod eſt, Heraldicum officium, ad fiſcum potius locupletandum inſervire, quam antiquitatis ſollicitum eſſe, ex SPENERI noſtri filio natu minimo annos jam ante aliquot audivi. De junioris autem ſcriptis ne litteram usque huc vidi Speneri, ordoque areolarum regii ſcuti Boruſſici (quod nuperrimo electionis die, vulgo *Wahltag*, corrigendum a legato mihi commiſſum erat) inverſus et perverſus, ſeriesque, de officii hujus, ſeu Collegii imperitia ſat certiorem fecit. Dabam Alnorum in Caſtro (*Erlenburg*). die V. Martii, A. D. MDCCXIV.



LXXI.

Joh. Henrico MAJO
ſuo
Zacharias Conrad. ab VFFENBACH
S. P. D. (a)

Liceat mihi Romano te more, omiſſis, qui non niſi bullæ, fumus, fucus, ampullæ et ſesquipedalia verba, titulis, te compellare. Firmior integriorque amicitia noſtra eſt, quam ut hiſce captandæ benevolentiæ mediis, ne potius nugis atque ineptiis dicam, egeat, ſanctior atque ſincerior autem, quam ut hiſce coli debeat. Aulæ mancipiorum, et qui ea imitantur, non amicorum eſt, verba ſibi invicem dare. Hiſce præmiſſis, quæ mecum probabis, amice dilectiſſime, ac ſequeris, ad tuas accedo, haud infucati dulciſſimique pleniſſimas amoris. Amantiſſimis ſane verbis tuis animum adeo affeciſti meum, tantaque voluptate beaſti, ut quæ illo ſentiam, explicare plane nequeam. Hoc vero af-

(a) Hac epiſtola Mæcenas noſter reſpondit ad literas MAJI ſui, quæ exhibentur in prima hujusce Syllogæ particula, p. 230. ſqq.

affirmare queo, quod me nunc demum reviviſcere ex Tuarum lectione ſentiam. Vivamus igitur læti, vitamque conficiamus una longiſſimam. Nunquam ſane diuturnioris vitæ deſiderium vexavit; aſt nunc flagro illo penitus, dum Tu, o altera dulciſſima pars mei! et mori et vivere mecum deſideras. O fide Achates, in cujus pectore revixit ævo celebrata Pyladis et Oreſtis (unici illi, Poeta teſte, erant, qui mallent ipſi mori) amicitia, tranſigamus molliter, in mutuis amplexibus, in intima familiaritate, in ſuaviſſimis coram et litterarum colloquiis brevem, ut in proverbio eſt, vitæ Iſthmum. Si vero, quod tui nunc cauſa abſit, is, qui omnia ſolvit, noſtrum quoque amicitiæ vinculum, Gordio nodo durius, Alexandri illius exemplo, ipſo fortior ac invincibilior, utpote illius etiam victor, falce diſſecaret, rumperetque, eſſet, quod in ipſo mortis articulo, qui tamen, ut Ariſtoteles deliravit, omnium rerum horribiliſſimum, gauderem, cum petitis annueris, librorumque meorum, quos liberorum inſtar amo, curam in te ſuſcipere non detrectaveris. Lætor etiam, quod idem velle, ac idem nolle nobis ſit, utpote quod demum firma amicitia merito dictum: lætor, inquam, quod fieri poſſit, ut, quos relinquimus, libelli, utrique noſtrum chariſſimi, poſt cineres conjuncti

ſint, velut nosmetipſi extitimus conjunctiſſimi. Sed cum pro tua, quæ maxima eſt, benivolentia mihi potius filium preceris meum hæredem legitimum, et quidem mihi ſimilem, hoc eſt, (ut ego quidem accipio) librorum ſtudioſum atque amantem, nam hæc ſola virtus eſt, quam in me agnoſco, quave, citra arrogantiam tamen, glorior: cum, inquam, talem mihi optes, omnes nervos viresque intendam, ut amantiſſimum votum tuum impleatur. Annuat modo atque ſecundet divina, a qua omnia pendent, providentia, ne omnis mea, (Neotericorum de procreatione ſententia, qua omnem et viro et fœminæ poteſtatem plane adimunt, ſortique fortuitæ committunt) exſpectatio ac conatus fruſtrentur. Utcunque tandem ſors cadat, ſit ovulum maſculini aut fœminini generis, ſit modo punctum ſalvum, contentus ero, cum tu mihi ſis, Amice dilectiſſime, in quo omnem ſpem meam collocare queam, qui et recularum mearum, et famæ quoque meæ curam tam libenter in te ſuſcepiſti. Nec ſpem meam falli poſſe confido, cum non longo quidem uſu, aſt certiſſimo inſignique cognitus mihi ſis. Quæ enim tua eſt humanitas, quæve inſerviendi promtitudo! noviſſimo gratiſſimoque exemplo utramque mihi probaſti, dum ſolus librorum meorum Ebraicorum evolutionem in te ſuſcipiendam,

atque aliquot indies horas illis impendendas ſpondeas. Religioni mihi ducerem, tantum pretioſiſſimi et tibi et rei litterariæ temporis tui a te inſumi, niſi conſiderarem, te non ſolum deliciis hiſce delectari, ſed officii etiam, quod exornas, partes a te eadem opera expleri, vel ſaltem deſiderari nequire. Ad minimum viri boni, officioſiſſimique amici officio, cui nunquam deeſſe ſoles, defuncturus es, de quo ego inprimis, mecumque univerſus orbis litterarius lætari aliquando poterit. Ut taceam, nefas fore, ſi recuſares, cum neminem ad hæc te magis idoneum ſciam. Sed nolo his immorari, ne moleſtus tibi eſſe, animumque, quem jam promtiſſimum demonſtraſti, addere velle videar. Hoc ſolum addo, me novos ſemper libros, et meis quidem ſumtibus (quod præter voluntatem meam, contraque decori leges Bibliopolæ, cui demandaveram, culpa, neglectum nuper fuit) ſuppeditaturum, ac quavis data occaſione curaturum, ne Muſis tuis, quas nimis aggravo, ingratus videar. Cum vero nonniſi litterariis donis placari atque conciliari eas ſciam, gaudebo, ſi quædam munuſcula parare potero. Sed nimis verecundæ, vel liberales nimis mihi videntur, ut munificentia meam bene merendi voluntatem ſemper vincant, vel anteveniant. Suboles, Amice humaniſſime, quid ſibi hæc velint. Rixari geſtio,

ſtio, quod omnem tibi inſerviendi occaſionem præripias. Scholaſticos aliquot libellos tibi offero, optimos illico libros retribuis. An ignoras inverecundiam meam, an neſcis inexplebilem librorum aviditatem? Putasne, me catalogum librorum inſpicere poſſe, absque ſumma, ſi vel unicus ſit, quo caream, potiundi cupiditate? Primo ſtatim indiculi tui intuitu manum cohibere non potui, quo minus tot, quot hic in ſchedula vides, notaverit. Puduit me facti, ſed tua humanitate fretus notam mitto tibi, hac tamen conditione, ut nonniſi aliquos, quibus facilius carere poſſis, tribuas impudentiæ meæ. Unicum tamen excipio, quem vehementiſſime etiam efflagito, imo exigo, Adagiorum ſcilicet Volumen, utpote tua, aſt quam chara! manu notatum. Non dico ob eruditionem, quam in notis iſtis, cum a te proficiſcantur, reperturum me certiſſimus ſcio; ne tuam, quæ cognita mihi dudum eſt, modeſtiam lædam, eo magis cum Viri docti nomen urbane atque facete reſpuas, quod in Republica litteraria cum maximo ſplendore, invita etiam modeſtia tua, poſſides, æternumque ſervabis. Pauculos, quos a me deſideraſti, libellos Domino Raumburgero reddendos curavi, excepto Ptolemæo et Ammiano. Illius enim nuda verſio Latina erat; hic vero, quod oblitus eram,

ac

ac dolebam, jam alii cesserat. In ejus locum HOLSTENII notas in Stephanum de urbibus substitui, quas si tibi desint, retinebis, exspectans plura, quæ mihi obtingent successu temporis. Interim malum tibi nomen manebo. Secreta Secretorum Soc. Jesu secreta forsan amplius non erunt, postquam Belgæ in contumeliam Soc. Memoriis, ut titulus habet, Trevoltiensibus, quæ ab hac ipsa Societate, uti bene nosti, proficiscuntur, Secreta talia, ut ibi dicuntur, monita Soc. in sua editione adjecerunt. Nuperrime etiam prodiit libellus contra Societatem, qui multas Societati turbas dedit, quem an videris, nescio. Titulus ejus: *Tuba magna mirum clangens sonum ad Sanctiss. D. N. PP. Clementem XI. de necessitate longe maxima reformandi Soc. Jesu per eruditiss. Dn. D. Liberium Candidum, S. Theol. LL.* Argentinæ (credo potius Lipsiæ) 1713. in 8. Collectio est rarissimorum, et aculeatissimorum quorundam libellorum, quibus appendicis loco etiam annectuntur Monita hujus Societatis Secreta, pag. nimirum 359. usque 399. Nisi Epistola jamdum prolixa satis esset, summa ex illis capita heic transcriberem, ut cum manuscripto tuo conferre posses, sed malo utrumque libellum data occasione tibi transmittere, ut commodius queas. Si tua ista Secreta a jam di-

ctis diversa essent, rem utique gratissimam faceres, si describenda curares. Addam nunc antequam finiam librorum, quos e notatis abs te coemi, titulos, adjectis Editionibus. *Iggéres báale chájim.* Francofurti 1697. 8. (2). *Iggéres hatt ijul.* Francofurti ad Oderam 1693. 8. (3.) *Sevach Pésach.* Venetiis 1545. 4. (4.) *Chánoch.* Amstelod. 1713. 8. charactere, quo in scribendo utuntur Judaei. (5.) *Caphtor vaphaérach.* Amstelod. 1706. 4. (6.) *Meor enójim.* Venet. 1640. Fol. (7) *Moreh nevochim*, Liber manu exaratus 4. (8.) *Pitron chalomos.* (9.) *Schechitos obedikos* (horum duorum Editiones annotare oblitus sum). (10.) *Schephatal.* Hanoviae 1612. Fol. cum fig. (11.) *Sepher hattajm.* Cremonae 1566. 4. (12.) *Tanchume.* Francofurti ad Oderam 1670. (13.) *Jalkut chádasch.* Amstelod. 1670. 4. (14.) *Jalkut Rubeni gadól.* Amstelod. 1699. Fol. (15.) *Ir Gibborim.* Basileae 1580. apud Frobenium Fol. (16.) *Maasél Jeruschalmi*, Hamburgi 1710. (17.) *Mechilta.* Amstelod. 1711. cum commentario Mosis Francofurtensis. (18.) *Sepher Gilgulim*, Francofurti 1683. 4. (19.) *Sepher Cerinthus*, Amstelodami 1705. 8. una cum aliis tribus libellis, uno volumine. Hos tibi denunciandos duxi non solum, ut rationem tibi, amice optume, redderem, quae lucratus hactenus fuerim, sed etiam, ut, quae inspicere ipse velis, indicare possis.

ſis. Transmittentur enim tibi omnes, utpote cui quidquam negare nefas, inſervire autem facinus reputo. d. 27. Febr. 1714.

LXXII.

Zachariæ Conrado ab VFFENBACH ſuo JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Intelligo, VFFENBACHI amiciſſime, gaudio non tantum me perfundi, ſed transfigurari, ut cum Seneca loquar meo. Magnitudini id tribue tui erga me adfectus, quem augeri indies cupidiſſime ſentio. Vera eſto amicitia noſtra, quam non ſpes, non timor, non utilitatis ſuæ cura divellat, cum qua et pro qua moriamur. Amplector te, amicorum princeps, et veneror, et in oculis fero, feramque, uſque dum lumine oculorum priver ipſe. Magnum eſt, ſi recte rem æſtimaverimus, amici nomen; quo non obvios omnes compellare decet, ſed quos in ſocietatem honeſta cupiendi par voluntas trahit. Quare cum eo me adfeceris honore, gratias tibi habeo maximas, daturus operam, ut

nec

nec amico, nec amicitia te destitutum conqueri possis. Tune, inquis, tam magnifice amici nomen et amicitiæ laudas, tune illo decore superbis, quum ne minimam quidem amicorum officii partem fueris exsecutus, multus in promittendo, in præstando nullus? Bona verba, quæso, meum delicium! Pollicitus sum, fateor, me proxima occasione ad te daturum litteras; neque pollicitus modo sum, reapse etiam præstiti. Ante octiduum, hoc ipso Veneris die, epistolam ad te, dulcissime amice, exaravi, tibi non redditam, sed mihi Francofurto remissam, singulari quodam casu. Quum enim Raumburgerianis litteris inclusissem tuas, accidit, ut illo legente, quæ ipsi scripseram, catellus, eo inscio, epistolam de mensa clam sumtam, virulento dente laceraverit, fragmentis quibusdam tristibus, quæ ejus effugerant sævitiam, relictis, mihique, veluti viva caninæ rabiei indicia, transmissis. Indicaveram illis, quid de duobus libris a Judæo emtis, sentirem. Quantum litterarum ductus male scribentis Ebræi adsequor, unus, et is quidem manuscriptus (ita suspicor) preces continet Judaicas, quas inter exstare dicitur integra, quæ contra Christiani nominis gloriam est directa, et quam in aliquo pariter antecedentium manuscriptorum tuorum observavi. Alterum volumen tres complectitur libros,

in

in quorum uno divinando negotium mihi fecit imperitia Judæi tui, egregii procul dubio Rabbini, et rectoris Academiæ Pragensis (hoc enim ignorantia ejus dudum meruit) magnifici. Is enim ridicule titulum libro dedit יחלת חכמה quod est, *timor Sapientiæ.* Id vero quid sibi velit, ignoro. Scribendum enim unica mutata littera תחלת חכמה *initium Sapientiæ.* Et sane hic liber una cum aliis, ab olente Apella tuo adscriptis, prodiit Veronæ 1647. 8. tibi autem recentior, ut memoras, contigit editio. Bonus quidem liber est, neque tamen tanti æstimandus, quanti a Judæo laudatus, qui tot verborum phaleris ea tibi de causa forsan commendavit, quia prior ille, et qui in fronte voluminis legitur Sepher Cerithus, modos docet explicandi sterquilinium Talmudicum, Gemaram cumprimis, elegantes, acutos, divinos, nihil supra. Humanæ eruditionis et ingenii apex habetur illa interpretandi facultas, ad quam excellentium Christianorum ingenia acutissima penetrare non possint, ne Lockii quidem, aut Leibnitii, aut quicquid vel Germanici est acuminis vel exteri. Ego itaque non magni facio illud scriptum; majori apud me in pretio est volumen illud alterum manuscriptum, vel ea de causa adservandum diligenter, quod novum perfidiæ præbeat et calumniarum Judaicarum argumentum,

a quibus etsi purgare sese in hoc negotio conentur versuti Ebræi , convicti tamen sunt dudum. Hæc quoad summam epistolæ meæ dilaceratæ; venio nunc ad tuam. Gratum adversum te fuisse votum meum, de filio hærede, ex animo lætor. At quam suave est, quod de tuis eam in rem conatibus scribis, quibus ut felix respondeat eventus , toto pectore adprecor. Nullæ hic sunt meæ partes, immo ne quidem tuæ: pendent enim omnia aut ex fati benignitate aut malignitate. Si veterum ineptias sequi velis , haberem forsitan, quod in usus tuos convertere possis; et vel solum CARDANUM de Subtil. Lib. XII. ineunte , tres modos procreandi filios masculos tradidisse recordor; quorum duos experimento didicit esse veros; tertium, inquit , nondum experiri contigit. Memini et in Holsatia meo tempore accidisse simile quid, consule civitatis Kiloniensis filium, quem tanto desiderabat opere (erat enim quatuor filiarum jam pater) consecuto , joculari auxilio quodam. Sed quo labor ? Nondum poma legi, nondum virginale corpusculum reseravi, nondum in maritorum familiam receptus sum, et de his sine pudore loquor ? Dabis veniam , dilectissimum pectus, licentiæ meæ, et jocis , et ineptiis. Ego , qui in emendandis veterum auctorum locis occupor, ab emendatione unius

lo-

loci in corpore humano excludor, neque tamen moleſte id fero, gnarus, alios dari, qui plenis velis in hunc portum irruant. Quod ſi tamen ſine maſcula ſobole te decedere ex hac vita juſſerit Deus O. M. mihique remanere pauliſper et in ſqualore mœroreque vivere imperaverit, faciam, quod ei convenit, qui tot abs te beneficiis ornatus eſt. At de his cogitare nolo; adveniat potius illa dies, quæ patrem tè faciat filii pinguis, jucundi, delicati. Interea librorum, quos ſubinde ad me mittis, curam gnaviter ſuſcipiam; jamque luſtravi manuſcriptos tuos, ſequenti hebdomade, ubi occaſionem nactus fuero, ad te deferendos: unico excepto GOLIO, in quo nonnulla adhuc deſcribenda reſtant: ſed et hic nundinis proximis ad te redibit. Adjiciam illis, quos notaſti nuper e meis, libros, quosque accipies ad unum omnes, ne unica quidem demta ſchedula. Noli mecum rixari, amiciſſime vir, de levi catalogo: rixabimur de paupertate mea, atque inferior ex illa pugna diſcedam. Noſti, pauperis eſſe numerare pecus. Et unum forte alterumve inveniſti librum non plane ingratum. Quid? invides mihi felicitatem meam (ita enim voco illam) qua factum, ut, poſt tot exhibita beneficia, in re minima inſervire tibi poſſim. Gaudebis potius mecum, qui aliquo promeritorum tuorum cumulo le-

 vatus

vatus, cogitare quiverim de folio, loco libri. Nempe hæc sunt ex Græcorum proverbio χρύσεα χαλκέιων. Libros a tua benignitate Raumburgero datos, ut ad me curet perferendos, non modo ex tuis, sed ipsius etiam litteris intellexi. Quales nunc tibi agam gratias, præstantissime virorum, quibus verbis tibi consecratam mentem declarabo, quibus modis tuo me liberabo ære? Hic cura opus, hic labore et consilio. Non animus in culpa est, sed facultas, gratum ostendendi animum. Neque etiam verbis id faciam, verum factis. Jube, impera, manda, præcipe, quicquid libuerit, parebo libens. Quum alia petenda nunc mihi sint ad legendi statum manuscripta, nominabo illa, quod tua pace fiat. Compendium epistolæ ad Ebræos, Græce, duobus in foliis constans, et Epigrammata Græca MSS. ex bibliotheca Isaaci VOSSII descripta; illud item volumen MAIMONIDIS, quod nondum indicabat editum esse Apella. His adjicere poteris, quicquid volueris, et, ut adjicias, rogo: feriæ quippe nunc sunt, et tempus hæc talia suscipiendi maxime opportunum. HOLSTENII in Stephanum notæ nondum mihi fuerunt: quare denuo tibi gratias et de hoc grato munere ago. Soc. Jesu Secreta Secretorum typis impressa fuisse, et quidem iterata vice, omnem adhuc meam effugit industriam. Transscribam

bam huc capitum summas: Cap. I. Qualem se Societas præstare debeat, cum incipit alicujus loci fundationem. Cap. II. Quomodo principum, magnatum, et primariorum, Patres familiaritatem et acquirent et conservabunt. Cap. III. Quomodo agendum Societati cum illis, qui magnæ sunt auctoritatis in Republica, et quamvis divites non sint, aliis tamen modis juvare possint. Cap. IV. Quæ commendata esse debeant concionatoribus et confessionariis magnatum. Cap. V. Quomodo faciendum cum religiosis, qui iisdem in Ecclesia, quibus nos, functionibus vacant. Cap. VI. De conciliandis societati viduis opulentis. Cap. VII. Quomodo conservandæ viduæ, et disponendum de bonis, quæ habent. Cap. VIII. Quomodo faciendum, ut filii et filiæ viduarum religiosum aut devotum statum amplectantur. Cap. IX. De reditibus collegii augendis. Cap. X. De disciplina rigoris in Societate. Cap. XI. Qualiter se nostri unanimiter præstabunt contra dimissos e Societate. Cap. XII. Quinam conservari et foveri debeant in Societate. Cap. XIII. De delectu juvenum ad societatem admittendorum, et modo eos retinendi. Cap. XIV. De casibus reservatis, et causa dimittendi e Societate. Cap. XV. Quomodo agendum cum monialibus aut devotariis. Cap. XVI. De contemtu divitiarum præ

ſe ferendo. Cap. XVII. quod et ultimum, de mediis promovendi Societatem. Si igitur aut diverſum invenies editum quod eſt ab ſcripto, aut me illud cum hoc conferre volueris, ut ſignifices, enixe rogo. Librum, cui titulus, *Tuba magna* &c. nondum profecto vidi, et ubi viderem ? non hic loci, ubi vetera fere habemus ſola et nota omnibus. Denique ex libris Rabbinicis a te comparatis, unicum illum, cui titulus eſt, *Meor Enoiim*, et quem tibi obtigiſſe impenſe gaudeo, perlegendi voluptate teneor; eſt enim varietate rerum et utilitate laudatus liber, hiſtorica, moralia, philologica, theologica tractans, et quid non? Hunc, ſi ceteris, a te mittendis, adjicere velles, poneres in eo rem mihi gratiſſimam, et Muſis meis utiliſſimam. Habebis me et bonæ fidei debitorem, et virtutum, bonitatisque tuæ laudatorem perpetuum. Vale nunc, mea voluptas, et me amare perge. Proſtridie Kalend. Martii MDCCXIV.



LXXIII.

LXXIII.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Occaſionem ad te, amicorum princeps, ſcribendi, quem heic vides, dedit libellus (b). Inſcriptus eſt nomini tuo, cujus nunquam ſine honore et ſumma voluptate recordor. Audaciam non interpretaberis, ſcio, factum meum, neque gratiarum actiones, quas publice exſolvi, invitationem exiſtimabis ad plura præſtandum, quod equidem communis vult regula. Ego vero longe ab illa hæreſi alienus, arbitror, te et cauſas et finem dedicationis meæ facile cogniturum, etiam me tacente. Ad cauſas equidem quod attinet, fuſius expoſui illas in limine: finem vero nullum putabis alium, quam validius amicitiæ vinculum. Deſerui morem meum priſtinum, et quum antecedentium obſervationum duas partes nulli conſecraverim, hanc tamen tertiam, et cum ea priores, tibi ſacras eſſe volo. Multa ſunt, quæ impediverunt, quo minus receptiſſimam conſuetudinem obſervare antea voluerim, quas inter potiſſima eſt, quod dedicationes vendere noluerim. Habui enim ſemper animum, pecunia majorem, neque caput inde referre paulo unctius ſtudui, quin potius damnavi illorum inſtitutum, qui

(b) Tertius nempe Obſervationum Sacrarum Liber, VFFENBACHIO a MAJO nuncupatus.

qui lucri tantum causa libros consarcinant. Ad te autem, o spes mea, dum animum converti, e vestigio pertinaciam meam valere jussi, inprimis quum nihil eorum metuendum sit, ob quæ virorum clarorum nomina schedis adhuc meis præfigere dubitaverim. Amicus enim es, meumque nosti pectus, meamque conditionem et indolem: amico ergo (quidni sperarem?) animo excipias, quod ingenua ex mente ad te venit. Pollicetur id humanitas tua, non mihi soli nota, sed, qui tecum locuti unquam sunt, omnibus. Quid? quod jure postulare id a me potueris tanquam debitum, quod non ita pridem litteris pollicitus fueram tacite. Itaque non doni locum (vix enim adeo vilia donamus) sustinebit misera observationum mearum caterva, sed omnino debiti, ab eo profecti, qui tot nominibus se tuum, VFFENBACHI amicissime, deprædicat debitorem. Sufficiant hæc: neque enim ineptiarum mearum causam agere volo atque patronum. Tu quidquid a me admissum, benevola faventeque manu excipies, quidquid bonæ frugis inveneris, tibi, mala omnia et secius posita minusque recte elaborata, mihi tribues; atque, ut tribuas, omni studio precor. Sed et Geneseos Ebraicæ plagulam primam, a Burcklinio (qui se tibi commendat) datam, ad te, Conrade jucundissime, transmitto, et tui et fragmenti

menti Bibliorum inferens mentionem. Commodum memoriam ſubit recordatio librorum tuorum, nunc meorum, Holſtenii puta, Auſonii, Flori, Statii, Mythologorumque omnium. Accepi illos, et exoſculatus ſum: muneris autem ſplendor me obſtupefecit totum. Quid enim præſtantius poterit eſſe elegantiſſima Mythologorum editione, quid pretioſius Holſtenianis ad Stephanum obſervationibus, quid carius Auſonio Tolliano, quid Floro Freinshemiano præſtabilius? Magnum intuli decus familiæ librorum meorum: at longe major eſt nominis tui gloria, quæ penes me erit æterna. Manuſcriptos Codices tuos, ut et eos, quos ex mea poteſtate in tuam tranſituros gaudeo, jam faſciculo conjunxi, jam colligati ſunt et inſuti, tantum aurigam exſpectant, qui ad te deferat. Vale nunc, o alter Ariſtogiton, et Harmodii tui perpetuo memor eſto. VII. Id. Mart. 1714.



LXXIV.

JO. HENRICO MAJO FIL.

Indignatus ſum, ſine ſupercilio tamen atque rancore, ſed exporrecta potius, et ad riſum explicata fronte, catello, quod tuas ſerratis rabidisque dentibus ſuis lacerando, illis me non ſolum ſpoliaverit, ſed poſteriorum etiam tuarum deſiderium tam diu fruſtraverit. Bucceam Theſſalicam cibi, cui præ aliis inhiare ſolet, petulanti non invidiſſem, ſi ſalvas Tuas reliquiſſet; maluiſſem etiam, ut Moloſſus meus Britannicus, in Belgio, ut liberos meos equi inſtar curru vehat, edoctus, leporem de veru, pro ſua, qua unice pollet ſcil. ſagacitate, venatus fuiſſet, quam quod catellus iſte tuis me orbaſſet leporibus. Hebeſcant illi a facinoroſis morſibus dentes, vel, niſi jam dum ferulam expertus fuerit, virgarum pro meritis afficiatur ſupplicio. Ad ſeria nunc pergerem, niſi Tui, amice mellitiſſime, joci de maſcula procreanda ſobole indulgere hilaritati facerent. Præter illum, quem tu nominaſti, CARDANUM, plurimos ex inſtituto tradidit modos Hiſpanus quidam (c), cu-

(c) Janus videlicet Huartus, cujus liber *Exa-*

cujus libellus Morhofio ob elegantiam laudatus nuperrime in Saxonia recusus fuit. Sed ut recte mones, steriles omnes sunt artes, quas illi docent, nisi casus vel propitia faveat Lucina. De istis igitur haud sollicitus, divinæ omnia relinquam providentiæ. Quod tu autem, amice dilectissime, spretis Veneris illecebris, Minervæ Musisque te devoveris, non inconsulte fecisti. Idem sane mecum constitueram, eoque animo in Angliam quoque transmigraveram, ut fixas Oxonii sedes quærerem, castoque Pieridum connubio fruerer. Aliter tamen divino, quod placido regit omnia nutu, visum fuit Numini, quod uxorem mihi obtulit, quam certo sciebam, et me et Musas meas pari amore complexuram, eandemque mihi sine zelotypia, aut livore concessuram dulce, quod a teneris cum illis habui, commercium. Quo de nisi fuissem certissimus, (quasi

---

Examen des ingenios para las scientias Barcinone A. 1607. in oct. editus, ex Hispanico in Latinum sermonem translatus ab Æschatio Majore, sub titulo: *Scrutinium ingeniorum* Jenæ A. 1663. prodiit. In illo præter alia modum tradere non dubitavit, quo parentes gignere possint filios sapientes, ac ad litterarum studia idoneos.

(quasi scilicet in ipsis matrimonialibus Tabulis cautum de hoc esset) nunquam sane ad aleam hanc subeundam adduci potuissem. Probe enim mihi cognitum erat, quam multa necessarium hoc malum incommoda comitari, quamque pernitiosum Litteratis, Aonidibusque invisum esse soleat matrimonium. Habet sane conjugium voluptates suas, affert delectationem liberorum, si bonæ frugis evadant, procreatio; ast quam incerta harum fruitio, dubiaque maxime spes est! Et si probe perpendas, nullæ vel exiguæ sunt præ illis, quas dulcis cum Musis consuetudo creat. His tu perfruere, Amice dilectissime, ac in sinu lætare. Nullos te liberos suscepturum, ne doleas, sed, quantis molestiis, quantisve curis te liberatum, perpendas. Librarii tui partus, quos tam bellos, tamque elegantes enixus es, quosve tanta facilitate, tantave voluptate edes in posterum, liberorum vices præstabunt, æternum tecum victuri, nomenque tuum ad immortalitatem consecraturi. Sed quo delabor? Vides, Amice charissime, dum tecum mihi res est, a loquacitate temperare mihi nequeo. Ast vitium hoc aliis videatur, inter familiares affabilitas, quæ virtutes inter numeratur, reputatur, veræque amicitiæ, ut oratio index mentis aliis dicitur, character. Citra ulteriores tamen ambages ad libros nunc

nunc venio, et quidem eos, quos a tua liberalitate exspecto. Accipiam illos, quoniam ita jubes, sine longiori excusatione. Ea tamen lege, ut tuum me debitorem manere sinas, credasve, usque dum occasio mihi sit persolvendi residuum. Libros, quos perlustrare gestis, lubenter transmittam ad unum omnes, quamprimum sese præbuerit opportunitas. Quanquam enim, ut omnia mea, ad usus publicos conferre potius, quam in scriniis inutiliter premere malim, antiquissima illa folia, Epistolæ ad Ebræos Synopsin complectentia, et recentius Græcorum Epigrammatum ex Codice Vossiano apographum aliis ad edendum committenda decreverim, gaudeo tamen, quod tu, Amice optume, in tempore monueris, illaque tibi expetieris. Epistolæ quidem ad Hebræos compendium FABRICIO Hamburgum destinaveram, ut vel suæ Bibliothecæ Græcæ, vel alii opusculo pro more suo annecteret, Epigrammata vero LEDERLINUS, Prof. Argentoratensis, Germani mei, ibidem, uti nosti, studiorum causa degentis, ope obtinuisset. Certiorem enim me fecerat, editionem, quam CLERICUS tamdiu molitus fuit, vix amplius sperari posse. Quod eo probabilius videbatur, quod magnus ille Aristarchus, postquam a BURMANNO et BENTLEJO tam male exceptus fuerat, manum de tabula subducturus, animumque

in

in Græcis quicquam audendi abjecturus ſit. O ſi tu igitur, Amice dilectiſſime, doctam manum admoveres! Inſigne ſane et mihi, et univerſo orbi litterario officium præſtares. Haud inconſultum etiam exiſtimo, ſi Epiſtolam Paulinam cum Latina verſione, notisque tuis doctis, obſervationum tuarum Tomo tertio interſereres. Facies tamen de omnibus, non ut mihi, ſed ut tibi videbitur. De Epigrammatibus, ſi vel unum, alterumve commodo in loco publici per te juris fieret (ſi omnium editionem detrectares) ſatis foret, modo conſtet mea publico litandi voluntas. Præter librum *Meor Enoim* dictum, Maimonidisque, quem nominaſti, codicem, duos inſuper addam alios. Spero enim, atque enixe etiam rogo, ut Ebraicorum meorum manuſcriptorum rationem habeas, nec illorum curam deponas. Adjiciam denique utramque Leoninæ vel Vulpinæ Societatis Monitorum editionem, Latinam ſcilicet, et Gallicam, ut cum manuſcripto tuo conferre poſſis. Fieri enim omnino poſſet, ut manuſcripta differrent a typis exſcriptis (ut verſipellis eſt Societas) in quibusdam nimirum locis, licet rubricæ capitum omnino concordent. Eadem opera librum ipſum adverſus Societatem editum, de quo nuper ſcripſi, non ſine voluptate perluſtrare poteris: multa enim de iis, qui Chriſti ſocios ſe mentiuntur,

licet

licet e latronibus, qui resipuerunt, tales fieri possint, arcana continet, quæ frustra alibi requiras. d. 10. Mart. 1714.

LXXV.

JO. HENRICO MAJO FIL.

Quibus tibi nunc verbis gratias agam, nescio. Maximus, imo nimius tuus in me amor est, ut et collaudare et improbare, imo castigare illum debeam. Ingratus atque injurius forem, nisi quas mente concipere possum, maximas tibi, Amice dilectissime, referrem gratias, quod elegantissimarum, doctissimarumque Observationum tuarum Tomum tertium, o munus acceptissimum! donare, imo nomini meo, in Republica litteraria atque civili etiamnum obscuro, inscribere dignatus sis. Ast animadversionem, amicam tamen, meretur præfixa dedicatoria epistola, quin potius panegyricus in meas, quas nullas tamen in me agnosco, laudes effusus. Erubui, ita me Deus amet! nec repetitis etiam vicibus absolvere lectionem sivit pudor, atque justa in te indignatio. Hanc etiam probe experturus fuisses, atque experiri meruisses, nisi duo essent, quæ excusare

te

te mihi viderentur, quæque ardorem in me restinxerunt. Primum, quod seculi mores secutus sis, qui exigunt, ut omnis dedicatio abundet encomiis, adeo, ut nisi quævis ornamenta et laudes congerantur cumulatissime, solœcismum fecisse, et contra decori, urbanitatisque leges peccasse credatur Auctor. Alterum est, quod amplissima, quibus me ornare studes, verba, laudesque, quibus me afficis, amorem tuum simul demonstrent, prodantque, quo ex fonte manarint. Nemini igitur imponetur istis; minime mihimet ipsi, cum longissime a me absit, ut meis ipse laudibus faveam; nec etiam aliis, dum omnia encomia tua et consuetudini, et amori tuo erga me plane singulari adscribentur. Hoc etiam movet me, facitque, ut commissum, contra amicitiæ leges, facinus condonem, hac tamen conditione, ut in posterum ab omni laudis specie abstineas, adeo, ut nec epitheton (nisi quod amicis, familiaribusque dari assolet) nomini meo, ubi codicis, aut alius libri mentio facienda, adjicias. Satis mihi certe fuisset, summæque gloriæ duxissem, si solum nomen meum adparuisset ubique. Hæc etenim unica gloria est, cujus cupiditate teneor, hanc etiam citra arrogantiam aucupari me posse confido. Hoc jucundissimum præmium est, quod meo librorum studio indefesso deberi, nisi iniquior sit,

nega-

negabit nemo. Nec majus unquam expetam, nec requirere poſſum. Quod enim inſignius famæ ornamentum eſſe poſſit, quodnam præſtantius decus, quam quod tu, Amice honoratiſſime, quibusdam, quo hactenus tam bene uſus es, Codicibus, quosque ego e ſacrilegis Judæorum manibus, imo ab ipſo interitu vindicavi, doctiſſimas obſervationes tuas augere illuſtrareque potueris? O me terque quaterque felicem, qui et tibi et univerſo orbi litterario inſervire potui. Improbus ac ſtultus concivibus meis labor videatur, qui libris colligendis impenditur; mihi nunc aliter probatur. Et niſi jamjam maximus eſſet in comparandis, tibique ac omnibus bonis conſecrandis hiſce theſauris, ardor meus, creſceret multum. De quo ne dubites, omni allaborabo ſtudio, ut meam in his inſerviendi tibi promtitudinem, quavis data occaſione, perſpicias. Jubet id amicitia noſtra, imperat publicum juvandi, quæ omnibus bonis incumbit, religio, ſuadent tua in me merita, exigit denique gratus, qui omnes decet, et quem nunquam in me etiam deſiderabis, animus. Hunc utinam probare ac demonſtrare tibi majori facultate, majoribusque monumentis poſſem! Aſt tanta eſt liberalis tua magnanimitas, ut quibus alias hominesque Diique placantur, ex auro argentove muneribus, tuam potius iram in me com-

motum iri metuam; ut in his mortalibus palmam præripias, ipſosque etiam Gentilium Deos ſuperes. Chartacea tamen dona, atque munuſcula non reſpues; quibus comparandis, dum capillatam exſpecto occaſionem avidus, in votis nunc deſinam. Faxit Deus T. O. M. ut novum, quod gratia ejus abſolviſti, ſi molem ſpectes, opuſculum, ſi gravitatem atque præſtantiam, opus inſigne cedat in ejus gloriam, ad Sacrorum Scriptorum illuſtrationem, tuæque famæ immortalitatem vergat! Soſpitet te quoque Numen benigniſſimum, ut Neſtoris, aut quot noſtræ ætatis caducæ hominibus contingere poſſunt, annos vivas, multisque ſcriptis multa exquiſitaque eruditione tua refertiſſimis orbem litterarium augeas, atque ornes. d. 13. Martii, 1714.

LXXVI.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Binas benevola manu tua exaratas accepi litteras, ad quas eo ordine, quo ad me pervenerunt, reſpondebo. Recte feciſti, quod riſu exceperis fata epiſtolæ meæ, a catello diſcerptæ, cujus ventri

niſi

nisi Rabbinica quædam librorum nomina, et charactêres Coptici summum intulerint dolorem, cum vomendi studio junctum, equidem dignum admiratione fuisset. Quod vero lepores meos (ita enim nuncupas) lepori culinario præferre volueris, in eo satis es lepidus. Ego quidem neque canem precor nimis discendi avidum, neque ea sagacitate præditum, qua Molossum tuum scribis egregie instructum: illud libris, hoc stomacho nocet. Placet mihi meus Achilles, (hoc nomine prisco adpellavi canem meum) qui Pyrrhonica quadam abstinentia ἀπέχει, nisi quod Crispinum imitaturus, corio adhuc sit infensus. Hæc in memoriam et sepultæ epistolæ, et canum nostrorum dicta a me sunto, qui, si quisquam alius, vere sum κυνομανής, Justo LIPSIO hac in re non inferior. Tædium solitariæ vitæ discutit ille solus, insignis ineptiarum artifex, et fidus comes. Hic est mea Helena, cum quo et ludo, et jocor, et, quicquid in mentem venerit, ago: placidus est, et ad nutum monentis intentus, plane ut ex Alexandri M. militibus aliquem putare possit, qui a μετενσωματώσει animarum non plane alienus est. Ignosce, amicissime VFFENBACHI, ludicris hisce et jocularibus, quæ tamen in epistolis familiaribus habent quandoque locum. Quantum vero differt mea vivendi ratio a tua!

 Tu

Tu cum blanda conjuge et ad unguem facta, cum liberis, fratribus, cognatis, vivis; ego cum bestiis, et uxore carens, et fratre, et amicis, quos heic invenio nullos. Neque tamen hanc tibi, mellitissime amice, invideo felicitatem, neque adversa mea accuso fata. Gaudeo potius esse aliquem, qui his omnibus sit instructus, quibus ego privatus. De meis libris plura speras, quam in iis est. Quamvis enim accepturus sis omnes, pauci tamen sunt, et nullius pretii; id quod de notis potissimum manuscriptis ad Erasmi adagia dictum volo: perfeci enim perbrevi tempore, easdemque inter legendum oræ allevi. Synopsin Epistolæ ad Ebræos, et Epigrammata Græca ex Codice Vossiano descripta avide exspecto. Plane de his consilium meum fuit, et adhuc est, inserendi illam observationum mearum secuturæ parti, horum autem unum alterumve data occasione proferendi: adeo cogitationes utriusque nostrum amice conspirant; neque melius ex me ipso addiscere potuisses, quæ moliar, quam tute divinasti. Epigrammata adhuc inedita, et forte ex Vossiano apographo desumta, adducit subinde ad Suidam KUSTERUS, quem possideo, et quem proinde conferam. Quum vero de communicandis cum eruditis manuscriptis tuis rationes te inivisse conjecerim, hoc saltem ex te peto,

ut pretiosissimum bibliothecæ Corvini thesaurum, historiamque Byzantinam illustrantem, nulli alii, quam mihi, perlustrandum concredas. Non desidero prius illum codicem, quam semel adhuc apud te coram inspexero, ut mutuo consultare de illo evulgando possimus. Esset hæc res et antecessore tuo in matrimonio, et te, et Germania etiam nostra omnino digna: quum enim Galli hanc sibi gloriam quasi fecerint propriam, ut historiæ Byzantinæ splendidum corpus, accessione quoque Banduriana nuper auctum, ediderint, tu solus certare cum illis posses, et hanc ipsis palmam reddere dubiam. Ne itaque Francofurto exire permittas tantas opes, neque alii copiam istas usurpandi divitias temere concedas, quam mihi. Nulla equidem spe ducor argentaria: at librorum me esse perquam cupidum, inficiari nequeo. Fieri hoc negotium poterit totum in tempore et loco. Prosequar telam a B. D. Schneidero cœptam, interseram, quæ et ille, et tu cum illo pro Imperatoris gloria suscepistis, atque his demum nugas subjiciam meas. Verum de his tu rectius judicabis. Monita Jesuitica libens cum meis scriptis componam; proderit enim labor ille utrique nostrum. Hildebrando tradidi litteras tuas: cum D. WEBERO nondum collocutus sum; interrogavissem alioquin de Butkeniano ope-

re. Chronicon Franckenbergense editum equidem est: at desiderari in eo ajunt, quæ Weberus noster adtulit in disputatione de Societate Leonina. Narravit mihi etiam Eberweinius, pastor hujus loci, natus Francobergi, adfinisque Hildebrandi, esse sibi chronicon Francobergense plenissimum manuscriptum, diversum adhuc ab aliis, quorum heic circumferuntur non pauca. Ex posteriori epistola tua, Amice dilectissime, libens intellexi, meum tibi placendi studium non ingratum fuisse, etsi castigatione quadam dignum me existimes, qui non amici, sed declamatoris partes obierim. Primum scias velim, non pœnitere me nec pudere, si quid nimii vel inveneris ipse, vel alii deprehendant. Tum et rhetorum præcepta eo tempore, quum in dedicatoria epistola concinnanda occupatus fueram, ne inspexi quidem, neque animo volvi, solam secutus indolem meam, et veritatem meram. Nihil dedi auribus tuis, sed ex animi sententia homo ad nullam rem minus, quam ad adulationem factus, publice testatus id fui, quod toties narravi aliis. Egone reprehendendus essem, qui lectoribus quoque meis ostendere volui, qualem mihi dederit Francofordia amicum, quantum litterarum orientalium vindicem, quantum eruditorum fautorem? Jam nemo ex meis est

au-

auditoribus omnibus, qui tuum ignoret nomen, quum Codices Ebræos tuos impense, quod merentur, laudaverim omnibus. Gratias habeas maximas, o altera animæ meæ pars, ob favorem et benevolentiam, qua me measque schedas excipere voluisti. Nunc demum placere mihi aliquantulum incipiunt observationes meæ, posteaquam non displicuisse illas tibi intellexi. Nunc me felicem adgnosco, qui tricis conciliare potuerim animum tuum. Quid enim aliud sunt meæ observationes, quam nugæ nugarum, et si quid vilius istiis? Quum in me coercendo proclivis fueris, Amicorum optime, non vitio vertes, si eodem in te jure uti libuerit. Elogia scribis libelli mei, laudibus effers, immo ut insigne opus deprædicas. Quid hoc sibi vult? Facinus mihi tribuis contra amicitiæ leges commissum; at ego hoc te gladio petam. Quantum recordor, ex mutuis epistolis privatis verborum relegamus pompam, non item ex publicis. Et si vel maxime has simul comprehensas dixeris, malim tamen vel publicæ utilitatis causa leviter peccasse, quam non peccando tuas virtutes siluisse. Faciam tamen inposterum, quod fieri desideras, neque alio, quam amici optimi maximi nomine te compellabo, quum jam satis de mea erga te voluntate nostraque amicitia per-

ſuaſos exiſtimem lectores meos. Hoc precor unicum, ut, quem divina ſorte nactus ſum amicum, diu mihi ſervet fatorum clementia, humanis ſaltem rebus non ante eximat, quam ego fatum occupaverim meum. Faxit itaque Deus O. M. ut te uti, frui queam ad extremum vitæ halitum uſque: ſoſpitet ille te, tuam conjugem, et quidquid ex ea eſt liberorum, ut omni felicitatis genere cumulatus ſero recipiatur cœlo anima tua, unde orta eſt! XVII. ante Calendas Apríleis MDCCXXIV.

Veniet ſequente hebdomade in civitatem veſtram Theologiæ in hac Academia Profeſſoris, RUDIGERI, filius, cognatus meus, et BARCKHAUSII veſtratis ephorus. Huic quum per tempus aliquod commorandum inter vos ſit, ne inutiliter iſtud terat, per me decenter rogat, velis ei aditum permittere ad bibliothecam tuam, ut cum mortuis hiſce doctoribus colloqui poſſit, ſeparatus a vivis magiſtris degens. Nolo multis hoc a te contendere, cujus humanitas peregrinum excludit nullum. Ajo, et dignum eſſe, cui id beneficii præſtes, et memorem futurum perpetuo. Libros et tuos manuſcriptos et meos uno faſce conſtrictos, mittere ad te non-

nondum quivi, destitutus omni opportunitate. Noli itaque, dilectissimum caput, moram hanc mihi adscribere, culpa omni vacanti. Vale iterum, et nostris Musis favere perge. Boethium de consolatione Philosophiæ manuscriptum hoc ipso momento ex bibliotheca Butisbacensi publica obtinui, conferendum cum editis. Sed quia nullum mihi exemplum est ejus, nisi quod in forma librorum minutissima ex officina Plantiniana Raphelengii 1601. nulla propemodum margine prodiit: te rogo, ut, si duplex forsan tibi ejus est copia, mecum eam communem facere non dubites: sin unico duntaxat instructus es exemplo, nec hoc velim deneges: remittam enim illud ipsum variis lectionibus manuscriptis auctum, atque de proprio interea comparando cum plena margine, ero sollicitus.



LXXVII.

JO HENRICO MAJO FIL.

Nolui prius ad te ſcribere, quam libros a te deſideratos transmiſerim, quos nunc demum te accepiſſe ſpero. Jamdudum habuiſſes illos, niſi et aurigam, qui deferret, et negotii cujusdam exitum exſpectaſſem. Obtulerat nimirum amicus opus quoddam, quod tibi deſtinaveram, cum reliquis mittendum. Theſaurus erat Græcæ linguæ Henr. STEPHANI, quem non ingratum tibi credebam. Aſt cum adportaretur liber, ægro animo ultimum Tomum deeſſe vidi; appendicem nimirum, Gloſſaria vet. Grammaticaque opuſcula complectentem. Nolui igitur mancum tibi, Amice optume, offerre, ſed poſſeſſori ſic ſatis moroſo ac tenaci relinquendum duxi. Interim reliqua congeſſi, quantum quidem critici, hoc eſt Tui, quo delectaris, et delectas, argumenti comparare potui. Levidenſia ſunt opuſcula, ac maximam partem ſine indumentis, quod moram facere nolebam, ſolitumque tuorum ornatum ignorabam, parum decore oculis tuis ſe ſiſtentia. Aſt dicam tibi, Amice dilectiſſime, quod res eſt, ingenue. Omnes librorum meorum abundantium loculos, nec non Bibliopolarum tabernas excuſſi,

cuſſi, ſed parum aut nil invenire licuit, tuo palato dignum. Meorum enim tantus, uti noſti, numerus non eſt, hæ vero, Bibliopolarum ſcilicet officinæ, bonis libris vacuæ, ſalſamentariis, ac fornicariis potius ſchedas, quibus mercimonia ſua obvolvant, quam eruditis probas merces miniſtrant. Volui igitur omnia corradere, ut aliqua ſaltem cum cæteris libris, quos petieras, transmittere poſſem donaria. Succedent tamen his plura; imo do tibi fidem, omnes libros, qui in manus meas incident, Tuisque ſtudiis inſervire poterunt, me tibi comparaturum: interim fruere præſentibus. Reliquorum etiam, quos perluſtrandos popoſceras, uſum, quamdiu volueris, concedo liberrimum. Boethium, cum per oblivionem cæteris non addiderim, peculiari faſciculo incluſum ad te perferendum dedi. Doleo autem, quod meliorem editionem miniſtrare nequiverim. Emeram equidem omnia Boethii opera in fol. ut vocant; Baſileæ edita, ſed cum plagula deficeret, Bibliopolam redhibere juſſi. Nollem enim librum aliquem vel tantillo vitio laborantem Bibliothecæ meæ, etſi exiguo vel nullo pretio habere poſſim, conſcius inſerere. Exiguam vero iſtam editionem inſigniter ornabis, Amice humaniſſime, ſi tua manu varias ex manuſcripto lectiones marginibus adpingas. Nova erit amicitiæ tuæ teſ-

teſſera, meumque collatorum apparatum augebit. Quo vero ſplendidior accedat, Tuum ſodes nomen adſcribas, ut omnes videant, quanti viri induſtria præſtitum id ſit. Pateat enim velim, quanta tua in me ſit benevolentia, quantisve ornamentis me librosque meos decorare ſtudeas. Noviſſime ſtudium hoc tuum bene merendi comprobaſti, dum ultro obſtetrices Codici meo Byzantino manus porrigis. Quo de negotio pluribus coram agemus. Erat alias mecum conſtitutum, ut, poſtquam Celeberrimus FABRICIUS quinto Bibliothecæ ſuæ Græcæ, quam orbis litterarius avide mecum exſpectat, libro, pleniorem hujus Codicis notitiam, quod utique facturus eſt, dediſſet, BANDURIO, qui reliqua hujus Imperatoris Excellentiſſimi opuſcula operi ſuo inſeruit, illum concrederem, quo egregio Byzantinæ hiſtoriæ corpori annecteret, lucem atque ſplendorem tam ſacræ, quam profanæ allaturum haud ſpernendum. Plurima enim atque eximia continet volumen, quæ in Codino atque aliis, qui idem argumentum tractarunt, fruſtra requiras. Theſaurum ſane præbebit, ſi tua inprimis docta opera in lucem proferetur, tuaque eruditione illuſtrabitur. Unicum vero erit, quod deſiderabimus ac deplorabimus. Videlicet in Germania noſtra editionem ejus eo, quo par erit, et qui Pariſinam æmu-

æmuletur, ſplendore procurare haud poterimus, niſi Lipſienſium induſtria accedat, ac præſtet. Sed de his, uti dixi, coram. Quæ de alio manuſcripto Franckenbergenſi, quod ampliſſimus Dn. Eberweinius poſſidet, narras, jucunda fuere; rem vero faceres gratiſſimam, ſi illud ad breve temporis ſpatium expetieris mihi, ſiquidem typis vulgatum non eſt. Renuet minime Vir optimus, quem meo nomine ſalutabis, et Fratris et affinis cauſa. Finirem epiſtolam, aſt vacuum amicis, uti Philoſophis, non conceditur, ac ſine jocis etiam dimittendus non es mihi, cum recte his quoque in familiaribus locum ſtatuas. Accepi nuper Argentorato inſignem librorum cumulum, quos inter Æneæ SYLVII, qui poſt adeptum Pontificatum PIUS II. appellatus eſt, Opera, mihi ſane acceptiſſima, Baſileæ ex officina Henr. Petrina MDLXXI. in fol. edita. In his extant quoque Epiſtolæ, quarum XV. demonſtrat, PIUM II. non adeo pium fuiſſe. Excuſat ſe illa Sylvio, Genitori ſuo, et quidem ſatis leviter atque irreverenter, quod ex peccato genuerit filium. Lubet eam ob ſales, et quod, cum obvia non ſint opera, forſan nondum lecta tibi ſit, deſcribere, cum etiam nuper de filiorum procreatione joco egerimus. Extat autem illa pag. mihi 511. „Læteris, an doleas,

„quod

„quod mihi ſobolem Dominus dederit, in-„certum te ſcribis, Pater. At ego læti-„tiæ cauſam video, doloris non video. „Quid enim dulcius in humanis eſt, quam „gignere ſibi ſimilem, tanquam extendere „ſanguinem, et habere, quem poſt te „relinquas? Quid in terris beatius, quam „natos videre natorum? Mihi equidem „ingens voluptas eſt, quod ſemen meum „fœtificaverit, quodque, antequam mo-„riar, aliquid de me ſuperſit, gratiasque „Domino refero, qui partum fœminæ fi-„guravit in marem, ut apud te patrem „meamque matrem aliquis parvus ludat „Æneas, et ſolatia præſtet avis, quæ de-„bebat pater impendere. Quod ſi tibi, „genitor, gaudio fuit meus ortus, cur „filius meus mihi non ſit lætitiæ? Anne „te quoque lætificabit infantuli vultus, „cum meam videbis in illo effigiem? Nun-„quid tibi jocundum erit, cum parvulus „pendebit ex collo Æneas? puerilesque „blanditias agitabit? Sed ais fortaſſe do-„lere meum crimen, quod ex peccato „genuerim filium. Neſcio, quam de me „finxeris opinionem. Certe nec lapideum, „nec ferreum genuiſti filium, cum eſſes „tu carneus. Scis, qualis tu gallus fueris. „At nec ego caſtratus ſum, neque ex fri-„gidorum numero. Nec ſum hypocrita, „ut videri bonus, quam eſſe velim. Fa-

teor

„teor ingenue meum erratum, quia nec „ſanctior ſum David rege, nec Salomone „ſapientior. Antiquum et vetus eſt hoc „delictum, nec ſcio, quis hoc careat. La„te patet hæc peſtis, (ſi peſtis eſt natu„ralibus uti) quanquam non video, cur „tantopere damnari coitus debeat, cum „natura, quæ nihil perperam operatur, „omnibus ingenuerit animantibus hunc „appetitum, ut genus continuaretur hu„manum. Sed dicis, ut arbitror, certos „eſſe limites, intra quos hoc liceat, nec „extra legitimas matrimonii faces progre„di debet hic appetitus. Ita eſt ſane, et „ſæpe inter ipſa nuptiarum clauſtra ſcelus „admittitur. Et bibendi quoque, come„dendi et loquendi certi ſunt termini, ſed „quis ſervat illos? Quis tam juſtus, ut „ſepties in die non cadat? Loquatur hy„pocrita, ſeque nullius culpæ ſcium dicat, „ego nullum meritum in me ſcio, ſolaque „mihi divina pietas ſpem facit miſericor„diæ, quæ nos labiles ſcit, et ad laſci„viam proclives. Nec nobis, qui patet „omnibus, fontem veniæ claudet. Sed de „hoc ſatis.. Nunc quia conjecturas petis, „ne alienum pro meo nutrias, quomodo „res ſe habuerit, paucis exponam. Non„dum anni duo effluxerunt ex eo tempo„re, quo Argentinæ gerebam Oratoris „munus. Quinquageſima tunc currebat, „quæ ante proximam præteritam fluxit.

Ibi

„Ibi cum otiosus diebus essem pluribus, „mulier ex Britannia veniens, diversori„um meum petens, in unis ædibus me„cum fuit, non invenusta, nec ætate „confecta. Hæc, quia sermonem Italicum „egregie norat, me verbis salutabat He„truscis, quod illa in regione tanto magis „placuit, quanto rarius erat, oblectatus „sum facetiis fœminæ, cujus in ore maxi„mus lepor erat. Moxque in mentem ve„nit Cleopatræ facundia, quæ non solum „Antonium, sed Julium quoque Cæsarem „eloquentia inescavit. Mecumque, quis „reprehendet, inquam, si ego homuncio „faciam, quod maximi viri non sunt asper„nati? Interdum Moysen, interdum Ari„stotelem, nonnunquam Christianos in ex„emplum sumebam. Quid plura? vicit „cupido, incalui, mulierem arsi, multis„que blandimentis adorsus sum. Sed ut „asperis cautibus unda repellitur freti, sic „verba mea hæc contempsit, triduoque „suspendit. Erat illi filiola annorum quin„que, quam Milinthus pater hospiti no„stro commendaverat, verebaturque mu„lier, ne quid hospes persentiret, filiam„que posthac quasi moris materni abdica„ret. Instabat nox, sequentique die mu„lier recessura erat, timeo, ne abeat præ„da. Rogo in noctem, ne ostio came„ræ pessulum obdat, dico, me intempesta „nocte venturum, negat, nec spem ullam

facit.

„facit. Insto, semper idem responsum est: „itur dormitum. Mecum ego quid? sciam „an illa, ut jussi, fecerit. Recordor Zi„mæ Florentini: forsitan illius amicam hæc „imitabitur. Tentandum est, inquam. „Postquam silentium undique sentio, thala„mum mulieris accedo. Clausum ostium „est, sed non obfirmatum: aperio, ingre„dior, muliere potior, hinc natus est fili„us. Mulier Elisabeth vocatur. Ex idi„bus Februarii usque ad alias idus Novem„bris, menses currunt, qui partui dantur. „Hæc mihi dixerat mulier, dum Basileæ „postea erat. Ego quamvis ipsam non pe„cunia ulla, sed maximis emissem preci„bus (ut est ars fœminarum) credebam „hæc auri corradendi causa dici, nec ver„bis præbui fidem. Nunc quia eam hoc „asserere, quando nihil sperare a me po„test, quando nomen convenit, tempus„que, puerum meum puto: teque, mi „pater, rogo, ut nepotem suscipias, alas„que, donec grandiusculus factus ad me „valeat proficisci, meisque imbui discipli„nis: nec puta fœminam divitem mentiri „velle in filio„. d. 24. Mart. 1714.



LXXVIII.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Heri litteras tuas cum Boethio, hodie et quos lustrandos mihi concedis libros, (inter quos tamen nec epigrammata invenio Græca, nec epistolæ ad Ebræos compendium) et quos dono dedisti, accepi. Erubui, amicorum princeps, simulac te missurum denuo libros, legi; nunc postquam intuitus illos sum, plane, quid sentiam, quid dicam, ignoro. Video, me longe majora consecutum, quam speraveram: video benignitatem tuam superasse omnem modum, atque nimis te erga me esse profusum. Causam vero muneris, et numero et mole præstantissimi, ne conjectando quidem adsequi valeo, uti nec verbis exprimere et gaudium, quo nondum visorum librorum aspectus me exhilaravit, et beneficii tui magnitudinem, et animi mei, recenti promerito tibi nunc obstricti, devotionem. Nulla spes mihi relicta est emergendi ex debito, inprimis quum tua indies beneficia crescant, quorum oneri necesse est succumbam. Gratias tibi et ago et habeo, quas mente concipere possum, maximas: referre queo nullas. Si quid vero in me esse cognoveris, quod usui tibi, dilectissime amice, esse pos-

poſſit, ſolenni illud formula tibi offero: ego certe paupertatem meam intelligo, et profiteor ingenue. Manuſcriptos Codices interea te accepiſſe tuos arbitror, ſub initium proximæ hebdomados ad te miſſos, una cum libris e paupere regno meo in tuum oceanum inferendis. GOLII Lexicon abſolvi deſcribendo, memor tui ſemper futurus, quoties aliquid ex notis manuſcriptis mihi adducendum. Remittam itaque illud occaſione opportuna. STEPHANI theſaurum te non integrum potuiſſe adipiſci gaudeo, non ideo, quod ſpes tua decollaverit, ſed quod mei in gratiam acquirere nequiveris: jam enim poſſideo illum, juxta cum indice et Gloſſario. Noli quæſo, ſi me amas, tot tibi negotia creare mei cauſa, Vir amiciſſime. Satis enim noſti, gnaviter me incivilem eſſe, et in petendo ruſticum, cujus rei ſpecimina expertus es non vulgaria, daturus poſthac ero pluria. Chronicon Francobergenſe Eberweinius e veſtigio tradidit, craſtina die cum Zangio veſtrate ad te perferendum. Ad hiſtoriæ Byzantinæ manuſcriptæ volumen quod attinet, ut a FABRICIO recenſeatur, tum a BANDURO imprimatur, conſentio, et quidem libens: ita enim nominis tui famam non modo extra Germaniam produci impenſe lætabor, ſed et eruditi gaudebunt, ſi tam cito illos beaveris dono tam illuſtri. Nam

ſi ego hanc laboris partem in me ſuſcipere vellem, nec ante annum de adgrediendo cogitare deberem, quid dicam de abſolvendo? BANDURUS vero in ipſa nunc verſatur hiſtoria Conſtantinopolitana; nota ei ſunt abſtruſa omnia, quæ mihi, utpote tironi, diſcenda adhuc eſſent. Neque dubium, quin promto animo exſecuturus ſit, quod per te illi imponitur. Audio, Germanum tuum iter meditari in Gallias; hoc ſi ita eſt, facili negotio et ingenium BANDURI, et adfectum erga nos Germanos ediſcere poterit; quem ſi non alienum a nobis cognoverit, per me licet, adſignetur ei hæc provincia, ea tamen conditione, ut ejus cum ſummis laudibus mentionem injiciat, qui codicem, plane nullo pretio æſtimandum, e tenebris non eruit modo, ſed et communi uſui conſecravit. Quod ſi vero BANDURUS, quacunque demum ex cauſa, aut alius, quem me noſti aptiorem, detrectaverit hunc laborem, en humeros offero meos, temporis diuturnitate et ſedulitate, quod ſpes eſt, ea adhuc conſecuturus, quæ meam nunc effugiunt notitiam. Vides, vir amiciſſime, utilitatem multorum longe me præferre honori proprio, ex tanti operis editione in me ſine dubio redundaturo. Tui modo memoria orbem impleat, habeatque etiam Gallia, de quo Germano agat gratias. Nimium mihi accedet honoris,

ris, si te ubivis coli intellexero: jam enim vindicare mihi incipio, quæ tua sunt, ex jure amicorum. Ad extremum significare debeo, quanta non me solum, sed et amicos alios, lætitia perfuderit Æneæ SYLVII lepidissima epistola, quæ nisi ad patrem data fide inscriptionis constaret, merito ad familiarem quendam scripta videri possit; adeo sine pudore et libere, et quasi re bene gesta, historiam enarrat omnem, ne levissima quidem circumstantia neglecta. Ego tibi loco gaudii, quod, communicando mecum festivas istas litteras, excitasti, verum adprecor gaudium, juvenem scilicet Æneam, vel quocunque adpellare volueris nomine, qui ex tuo pendeat collo, ludatque nucibus, donec ad maturam delatus ætatem, connubio Musarum jungatur. Fiat! VII. ante Kal. Aprileis MDCCXIV.



LXXIX.

JO HENRICO MAJO FIL.

Surrexit Dominus. Solenni hac veterum Chriſtianorum formula te hoc tempore, quod nobis iterum divina gratia illuxit, compello, precorque, ut feſtos hoſce dies lætus tranſigas! Quibus præmiſſis nuncio, quod initio elapſæ hujus ſeptimanæ Codices a te remiſſos, una cum donariis tuis, ea, qua par erat, gratia, acceperim, tuam et in me liberalitatem, et in codicibus illuſtrandis ac recenſendis ſtudium veneratus. Te quoque libros, quos perferendos dederam, conſequutum, tibique, Amice chariſſime, non diſplicuiſſe, ex litteris VII. ante Kalendas Apríleis datis, non ſine gaudio intellexi. Miratus autem ſum, quanto verborum apparatu, cum tanti non ſint, gratias agas, cauſamque munuſculorum inquiras. Non una certe fuit, ſed plurimæ, eæque graviſſimæ, quæ me impulerant, deque majoribus impoſterum cogitare adigunt. Eas tamen enarrare ſupervacaneum duco. Ipſe enim probe noſti, quæ tibi debeam, ego vero contra præſcriptas nobis invicem, totiesque repetitas, ab omnibus verborum phaleris abſtinendi leges peccare metuerem, ſi vel nudam meritorum tuorum in me rationem

inire

inire vellem. Citra omnem igitur tergiversationem, ni amicitiæ jura violare velis, accipies, quæcunque tibi obtuli,atque inposterum offerre potero, nilque plane aliud, quam mei in te animi propensionem dispicies, a qua sane multo majora, modo occasio daretur, exspectare merito poteris. Quod quum reapse potius, quam verbis te intelligere, Amicorum optume, malim, ad alia pergo. Spero autem, te ea, quæ desideraveras, manuscripta jamjam reperisse. Inserui illa Codici majori Ebraico, ne, cum integumentis carent, damnum capere, id est, ne a reliquis atteri, dilacerari, vel etiam, quod aurigæ incuria sæpe accidit, madefieri possent. Integrum tibi erit illis uti, frui, quam diu volueris. De Byzantino autem Codice mentem meam plenius coram explicabo. Nolim vero suspiceris, Amice dilectissime, me BANDURIO illum potius concredere malle, quam tibi. Summam sane injuriam mihi faceres, si, quæ nuper scripsi, in tam malam partem serio sumere velles. Nemo sane, nemo, inquam, est in toto, quacunque patet, terrarum orbe, quem tibi anteponam, cum nemo sit, a quo plura atque majora sperare queam, nemoque, a quo tanta ingenuitate, tantoque cum fœnore, quæ concedo, recipere una cum publico in aureis tuis scriptis possim. De quibus omnibus, si vel tantillum du-

bites, ignoras me plane, meamque in te, quod absit, benivolentiam, ac fidem, si unquam in mortalibus fuit, intemeratam affligis, dubiamque facis. Ast meliora de te spero, Amice cordatissime. Omnia igitur meä, tuto credas velim, tibi sacra, unaque mecum devota. Nullum gaudium est, quod ex iis, quæ benignâ mihi fortuna tribuit, capio, nisi tu, Amicorum dulcissime, mecum percipias, quod demum lætitiæ cumulum affert. Accipe igitur novam gaudii voluptatisque caussam, mecumque exulta. Inciderunt nuperrime in manus meas, o me ter, imo decies beatum! decem prægrandia volumina docta Polyhistoris illius, Joh. Petri LOTICHII manu ad unum omnia exarata, tibi æque ac mihi, cum critici maximam partem sint argumenti, jucundissima futura (d). d. 31. Mart. 1714.



LXXX.

(d) Sequuntur nunc ea, quæ in prima hujus Sylloges particula p. 26. sq. leguntur.

LXXX.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Inveniſſe me , et quidem ſine magno labore, epigrammata Græca , et compendium, quod arbitrabamur , epiſtolæ ad Ebræos , indicandum tibi duco, Amice optime maxime , ne aut decipere te voluiſſe videar , aut eruditorum more ſervare , quæ arrident. In cauſſa eſt prava mea libros veteres evolvendi conſuetudo , dum neque frontem eorum intueor , aut limina adoro , neque calcem lego : ſed ipſum medium ante omnia conſidero , profectuum meorum experimenta ſumturus ; quum longe facilius ſit vel ex capite vel cauda libri , quam corpore ipſo, quæ continentur illic , addiſcere. Dum itaque Ebræum codicem , cui Judæus inſeruit ſchedulam , primum luſtro , eundemque ordine perlegere inſtituo , inciderunt in manus meas, quæ tanto deſiderabam opere. Protinus ſumma cum aviditate bina folia membranea oculorum arbitrio ſubjicio , ſtanteque pede lego , relego. Nullum invenio epiſtolæ ad Ebræos breviarium, ſed ipſiſſimam epiſtolam , initio tantum et fine gaudentem, deficientibus foliis intermediis. Primum etenim folium cum exordio ipſius epiſtolæ incipit , finiturque in

Cap. IV. 3. verbis : ἐν τῇ ὀργῇ μου, εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν. Alterius folii prima vox eſt (λιθο) βουληθήσεται. Καὶ οὕτως φοβερὸν ἦν &c. Atqui hæc exſtant Cap. XII. 20. 21. quibus ſuccedunt ordine omnia, uſque ad finem epiſtolæ ; ſubſcriptione, quæ finem occupat in editis , heic in MS. tuo poſita in fronte. Doleo proinde inſigniter, te, Amice dilectiſſime, deceptum fuiſſe, magnamque pecuniæ vim foliis jam evulgatis impendiſſe. Ne vero fruſtra locaviſſe argentum tuum putes, quod facere unicum potui, feci , annotando diverſas lectiones : atque lætor, unam me reperiſſe et alteram, quam Millius in multis non invenerat codicibus. Epigrammata Græca pleraque omnia argumenti ſunt amatorii ; eaque ad Anthologiæ editæ Librum ſeptimum ſupplendum facere poſſunt : deprehendi unum ex illis exſtare jam in collectionis libro citato, quod ideo margini epigrammatum tuorum MS. tua tamen cum pace , adlevi ; facturus id cum aliis quoque, ſi ea offendero : nam illud felix ſuppeditaverat memoria. Quantum conjicere valeo , plura ſunt, et volumen omnino conficiunt non mediocre , quæ in Voſſiana erant epigrammata MS. Sane, quæ Kuſterus ad Suidam attulit, ſuperant omnino numerum tuorum, et tamen diverſa ab illis ſunt : plane ut nova nobis exſpectanda adhuc ſit Anthologia. Pauca

vero

vero illa, quæ tibi obtigerunt, deſcripta cenſeo ex innumeris, a quodam, qui Cupidinis vexabatur igniculis. Erit nihilominus locus, quo et varias lectiones, et epigrammatum unum alterumve, in tui memoriam, adducere potero. Chronicon Francobergenſe nunc demum per Zangium noſtrum ad te delatum arbitror. Inter libros, quos nuper mihi dediſti dono, ſunt quos jam habeo, Mericus puta Caſaubonus, Seldenus, et Meurſius; hic quidem in theſauro Gronoviano; illi autem ſeorſim excuſi. Curabo igitur, ut ad te, veterem poſſeſſorem, remittantur, quæ a te venerunt. Adjeciſſem his Salmaſii quoque epiſtolas (nam et illæ dudum mihi fuere) niſi eo ipſo tempore, quo gravia tua ad me pervenerunt dona, præſto fuiſſet Zangius, qui, quum noviſſet, jam me illis eſſe inſtructum, non ceſſavit prius, quam invitus nonnihil ei committerem opus, cui inhiabat, ea tamen conditione, ut Rutilium et Boethium, et quicquid ei geminum eſt, vice hujus reddat. Quam permutationem, cum libro tuo inſtitutam, non ægre feres, vir optime, ubi cogitaveris, tantum me illo lucratum fuiſſe. Vivit inter nos Suecus (e), ex oriente huc de-

(e) Michael ENEMANNUS, cujus laudatio

delatus, vir egregius, multarum linguarum peritus, et moribus ſuaviſſimis: is in Italiam, juſſu regio, vel Belgium et Angliam meditatur iter, quod, ubi ſuſcepturus eſt, per veſtram neceſſe eſt tranſeat civitatem; atque hac occaſione adparatum tuum inſpiciet orientalem, ipſe multis orientis ſpoliis, et Turcicis maxime atque Arabicis, onuſtus. Retulit ille, magno pretio in Turcia vendi Alcoranum, 40. ſcil. vel 50. imperialibus; quod jure mireris. Scio equidem, Joſ. SCALIGERI temporibus, 70. vel 80. immo et centum imperialibus æſtimatum fuiſſe unicum exemplum Coranicum: at noſtra ætate durare eam adhuc caritatem vix crediſiſſem. Quare meas nunc video divitias, antea ignotas, cui paterna ex hereditate duo obtingent Alcorani. Ecquid vero de Acolutho dicemus? triginta omnino poſſedit ille: incertum, quo poſt obitum ejus devenerint: Jam occupatus ſum in deſcribendis Græcis epigrammatis, quorum aliquod in Latinum converſum, ut materiam haberes ridendi, adponerem, niſi jam tibi cognita crederem illa. De meo nil habeo,

---

tio funebris, ab Erico BENZELIO fil. ſcripta, et Upſaliæ publice perorata, extat in Cl. Chr. NETTELBLADT Memoria rediviva Virorum in Suecia eruditiſſimorum, Semi-Dec. IV. p. 209. ſqq.

beo, quod lepores spiret et salem: adde quod neque Saturnalia nunc sint, neque jocandi tempus. III. ante Kal. Apr. MDCCXIV.

LXXXI.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Placent, quæ de Codice Byzantino statuis, quem vel ideo summa tractabo cum diligentia, ut posteri cognoscant, me in tuis illustrandis codicibus non fuisse segnem; animum certe defuisse nunquam. Quanti vero subeundi mihi labores! quam plane imperitus ad hanc accedo provinciam. Destituor corpore scriptorum Byzantinorum, supplemento Banduriano, glossariis du Fresniano et Meursiano, tot adhuc subsidiis aliis, sine quibus aliquid in ejusmodi opere conari prorsus est impossibile. Lotichianas opes divina tibi sorte contigisse, gavisus ex animo sum, et tui, Vir amicissime, et mei causa. Erit enim tempus, quo mihi prodesse poterunt doctissimi viri monumenta. Magis adhuc intra sinum gaudeo de Græcis, quos speras, codicibus. Quamvis enim et Latinos et Ebræos, et alios quoscunque auctores legam,

gam, non fine aliquo jucunditatis fenfu: tamen, fi Grajum video hominem, plane me transfigurari fentio. Quare epigrammata illa tua, amicorum optime, quæ amatoria, ut nuper dixi, funt fere omnia, tanta cum aviditate legi, vix ut verbis declarare queam; non ideo, quod Veneris arcana exponant, fed quod fumma in iis fit Græcæ linguæ venuftas. Bafilii Magni libellum, vel homiliam, vel orationem, ut alii malunt, de legendis Græcorum libris, aut, ut iterum alii, quomodo cum fructu juvenes legere poffint Græcorum libros, conftitui propediem edere, cum H. GROTII et ARETINI verfione rariffima, meisque notis. Vellem et aliorum inferere obfervationes, atque eruditiffimam D. Patris orationem, cum variorum notis evulgare, fiquidem mihi aliæ effent, præterquam Jo. POTTERI, qui hunc ipfum libellum una cum Plutarchi libro de audiendis Poetis Oxoniæ 1694. 8. in lucem emifit. Prodiit et hæc oratio Bafiliana Parifiis 1623. 8. ac Helmftadii 1637. per SCHEURLIUM Profefforem: neutra mihi editio vifa, uti nec operum editio Parifina, de anno 1618. in qua num forte notis inftructa fit illa homilia, fcire defidero. Si quid igitur nofti, Vir optime, aut ipfe habes hujus Patris, ut mihi fignifices, rogo, faciam, quod decet, tui mentionem favoris. Conftitueram his

ad

ad vos venire nundinis: ſed tribus adhuc indies detineor collegiis privatiſſimis, quæ propoſitum meum mutare juſſerunt. Suecus ille, de quo in proxima mea epiſtola, tuam nunc puto luſtravit bibliothecam. Eſt ille Profeſſor linguarum orientalium in academia Upſalienſi. Non temere vidi Suecum, qui eruditione hunc æquet. Qui litteras in domum tuam, te abſente, detulit, eſt omnino cognatus meus, quem ſæpius eandem ad te viam inſtituere, videndorum librorum tuorum cauſa, facile, qua es illuſtri humanitate, concedes homini litterarum ſtudiis flagranti. Invideo propemodum ei hanc tecum converſandi felicitatem, qua ipſe frui nequeo. Deum me exiſtimarem, ſi uno tecum, eodemque in loco commorari poſſem, utpote quod et jucundum mihi et utile foret. Dum vero ſejunctos nos vivere voluit fortuna, pareamus neceſſe eſt, eandemque clementem adhuc exiſtimemus, quæ immenſas locorum intercapedines inter utrumque non poſuit. Quamvis vero remotus a te ſim corpore, animo tamen te habeo præſentem, quin et tuis in ædibus verſor, ſomniis mecum ludentibus. Videre enim mihi videor Eraſmi ſtatuam (f), li-

(f) in Bibliotheca Vffenbachiana conſpicuam.

libros et editos et ineditos, in quibus et noto multa, et lego, ſed nonniſi cum indignatione; dum vanitatem horum laborum oſtendit aurora. Vale nunc, mea ſola et ſera voluptas, et me ama. Octavo Iduum April. MDCCXIV.

LXXXII.

JO. HENRICO MAJO FIL.

Una fidelia, ut vetus habet, duos dealbabo parietes, h. e. ad binas tuas una vice reſpondebo. Ut autem ordine procedam, priores tertio ante Kalendas Aprilis datas, præ oculis primum habebo, quarum ſtatim in initio tuam libros evolvendi conſuetudinem lego atque approbo. Tu vero, Amice chariſſime, non improbabis etiam, quod illam non ſecutus, Titulo veteri membranarum Græcarum deceptus fuerim. Eo facilius inductus ſum, quod ab eadem manu, quæ reliqua exaravit, inſcriptus videatur, et diſertis verbis compendium dicatur. Ad collationem autem non vacaverat hactenus tempus, nec ſane, ſi omnia, quæ indies comparo, excutere vellem penitus, edendum, nec dormiendum nec reſpirandum foret. Gau-

deo

deo igitur, si amici auxiliatrices manus porrigant, ac unum atque alterum codicem perlustrent. Quod tu, amice princeps, egregie præstas. Rogo autem te, ut in margine vel in fine varias, quas notasti, lectiones mihi adnotes, dataque occasione publico impertias. Faciet hoc, ut magnam adeo pecuniæ vim non credam inutiliter profusam, nec impensæ pœniteat, eo minus, quod ob venerandam antiquitatem, si quidem Montfauconio, optimo alias harum rerum judici, credendum, merito suspiciam. Antiquissimis enim manuscriptis annumerari posse suadet character, atque scribendi ratio, quod, si alphabeta, a dicto Montfauconio vulgata, contuleris, mecum fateberis. Emi, absens feci, membranas istas ex celeberrima olim Bibliotheca Marckiana, ubi Chrysostomi scripta continere dicuntur ineptissime. Nec rari sunt ejusmodi errores, imo fraudes in Catalogis librorum publicis sub hasta vendendorum, quos si metuere atque evitare velis, nullus omnino liber emendus esset. Quod nuper veritus fui de Nili Epistolis ab Allatii manu emendatis, accidit omnino, quod scilicet non eruditæ tanti viri sint animadversiones, sed stulti cujusdam manu lemmatibus deturpatæ margines libri præstantissimi. Multis certe hoc solenne est, hoc modo abuti libris, cum tamen nec

uti libris, nec docti sibi videantur, nisi conspurcatis illis. Sed eo patientius illud fero, cum reliqui libri, quos una accepi, eo præstantiores, justique satis pretii sint. De Epigrammatibus, utcunque libuerit, facies. Libros vero, quos nuper transmisi, tu vero, amice charissime, jam jam possedisti, ideo ad me redire, meosque iterum facere cupis, sententiam muta quæso, ne donaria, quæ exigua sic satis fuere, prorsus inanias. Illos etiam ex indice expunxi meo, tu vero, amice dulcissime, quod cum Salmasii epistolis fecisti, ages. Dn. Enneman, de quo nunciasti, me compellavit, meamque librariam supellectilem perlustravit. Probavit se mihi talem, uti scripsisti. Miratus autem sum hominis non solum eruditionem, atque experientiam, sed et humanitatem, quæ tanta est, ut ejus similem ex hac natione vix unquam invenerim. Suecica enim gens climatis, an naturæ vitio nescio, elatior morosiorque esse solet. Ea vero, quæ secum ex oriente tulit, spolia visu admodum jucunda mihi fuere; optassem autem, ut reliqua, quæ in Patriam transvehi curavit, quorumque indicem monstravit, cernere quoque licuisset. Alcoranorum caritas, cujus me quoque certiorem reddidit, singularis plane est. Hæc vero inde puto provenit, quod pauci sint, qui illis describendis operam navare velint, cum

illius

illius confarcinator Mahomet æterna eis supplicia, qui in exarandis ejus codicibus aliquot mendas commiserint, minetur, nec in Christianorum manus incidere facile patiatur gens superstitiosissima. Lætor igitur, et mihi exemplum ejus olim obtigisse, cum in infimis adhuc scholarum subselliis hærerem, a commilitone quodam meo dono datum. Nunc ad postremas tuas accedo, ubi votum tuum de felicitate, quam sub ipsum futuri mensis auspicium obvenire precaris, initium facit. Miror sane rumores istos, qui hic sparguntur, jam ad vos pervenisse, tuumque in me affectum, benivolumque animum exosculor. Ast quod in aurem tibi, amice charissime, dico, nescio, an felicitatem reputare debeam, quæ libertatem vendere coget. Mihi sane, Musis atque amicis vivere unice percuperem. Enimvero cum Patriæ quoque, Tullio assertore, nati simus, cedendumque sit cognatorum precibus, divinæque, quam primo omnino loco ponere debuissem, providentiæ, refragrari vix potero. Sed incerta dubiaque hæc sunt, atque a divini Numinis dependent nutu. Cum Grajis te delectari deliciis affirmas, non sine voluptate intelliges, quod nuper admodum recentius, eximium tamen volumen nactus sim, quod complectitur Gregorii Nysseni majorem, ut vocat, catecheticum,

 et

et quædam Synesii, qui omnes Attica venustate superat Patres. Fuit hic codex olim viri celeberrimi, Joachimi CAMERARII, quem ex Bibliotheca abnepotis ejus, quæ Erlangæ sub hasta divendita fuit, redemi, una cum aliis libris præstantissimis. Inter hos quoque erat Herodotus, Græce ab ALDO typis exscriptus, doctaque CAMERARII manu plurimum illustratus. En quæ in fronte voluminis notata sunt: *Librum istum Joachimus CAMERARIUS tam carum habuit, ut, cum aliquando Lipsiæ collegiorum expugnatio ab opificibus metueretur, hunc cum cæteris, quos habebat partim, partim descripserat, Græcis authoribus, in sinu gestaret, expectans eventum. Hoc quippe Exemplum primum e melioribus, et illi in thesauri vicem erat, et ex illo Græca potissimum didicerat. vid. vitam impressam, et manuscriptam anno 1516. Item anno 1572. Cum Lipsiæ in mola vicina incendium exortum esset, impenderetque a scintillis in ædes vi ventorum impulsis periculum, nihil exportari jussit, solum uni ex filiis tradidit servandos Testamentum Nov. Græcum, Platonem græcum et Herodotum hunc ipsum.* Quod Basilii M. libellum edere constituas, impense gaudeo, lubentissimeque, quæ mea suppeditat penuria, concedam. Sunt vero mihi Divi hujus Patris opera cum ERASMI præfatione Græce solum edita Basileæ 1532. ex officina Frobeniana. Fol. Ejus vero, cui tu, Amice dilectissime, infudas

ſudas, libelli editionem, ſi Potterianam excipias, quæ ſeparatim prodierit, poſſideo nullam. Opera igitur, ſi juſſeris, transmittam. Doleo autem, quod dulciſſima te hiſce nundinis amplectendi ſpes evanuerit. Non denegabis tamen gaudium iſtud, quam primum poteris. d. 14. Apr. 1714.

LXXXIII.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Ut a communibus initium faciam, ver aperire ſe cœpit, ſed quod in hiemem revolvitur. Ea enim eſt frigoris vehementia, tanta nivis copia, ut non Paſcha celebraſſe, ſed natalem Salvatoris noſtri diem inſtare exiſtimare poſſis. Rideo homines, qui tempeſtatem accuſant, et in publicum prodire detrectant, ne inclementia cœli lædantur. Adeo nec Jupiter pluvius nec ſerenus æque arridet omnibus. Videas nunc multos pænula indutos, nec tempori fidere, cujus tamen poteſtati ſubjecti ſumus, quotquot vivimus. Vis tibi dicam, quid ipſe et ſentiam et agam? Non me terret frigus, neque omni moveor varietate; unus ſum, idemque. Cum

libellis mihi plurimus ſermo eſt. Si quando interveniunt epiſtolæ tuæ, tecum eſſe mihi videor: et ſic adficior animo, tanquam tibi non reſcribam, ſed reſpondeam. Itaque et de his, quæ ſcire deſideras, quaſi colloquar tecum. Ante hos duos dies redire ad te juſſi GOLIUM, folia Græca, epigrammata, Meor Enoiim, Memorias Trevoltinas, Tubam denique feralem ſonum adverſus Societatem Jeſu clangentem; reliquos libros mecum adhuc ſervo. Illos vero commiſi typographi quondam hujus Academiæ relictæ viduæ, quam rite illos curaturam non dubito. Paucis verbis, more ſolito, gratias, quantæ maximæ agi poſſunt, ago, et majores etiam, quam quantas agere poſſum, debere, ultro profiteor. Habeo quædam de omnibus monenda. GOLIUM meum ex tuo, amicorum optime, locupletavi, quod plagium ut æquo feras animo, impenſe rogo, memor et Golii et tui futurus, ubi occaſio tulerit. Verum eſt, membranas illas Græcas Compendium promittere; ſed non præſtant. Noli fidem mihi adhibeas: quin ipſas illas nunc inſpicias, ſi libuerit, atque ſic, verene an falſo judicaverim, decernes. Veneratus ſum decrepitæ antiquitatis ſcripturam, planeque vetuſtiſſimam eſſe, etſi MONTFAUCONIUM nec inſpexerim, niſi fugiente oculo in tua bibliotheca, nec ſeculum deſignare

gnare queam, quod, si absque molestia tua fieri possit, ut ex viro doctissimo mihi indices, peto. Ego octingentorum annorum ætatem habere minimum puto. Varias lectiones adjecta exhibet schedula. Nili epistolas non Allatii, sed asini cujusdam manum præ se ferre, tecum doleo. Pars est impurissima librorum, ubi indocti calamus quædam adscripserit. De epigrammatibus non muto sententiam, quorum unum, ut monui, alterumve suo loco exhibebo. Omnia autem publici juris facere ego quidem nolo, quamvis illa descripserim omnia. Sunt enim non pauca in illis, quæ rectius ignorantur. Liceat mihi de collectore, vel potius auctore istarum inscriptionum, pronunciare idem, quod de Petronio tuo judicat nonnemo: Morum interfuisse, si nunquam scripsisset: elegantiæ linguæ, si aliud. *Meor Enojim* non est ille liber, quem exspectaveram, quamvis eundem gerat titulum. Meam vero effugit notitiam, adhuc exstare similis nominis alium; alioquin signatius expressissem. Tuus enim ille, neglectus BUXTORFIO, commentarius est in priorem partem libri Rabbinici, *En Israel*, compositusque a Josia Pinto; alter autem auctorem adgnoscit Rabbi Asariam Edomæum, prodiitque Mantuæ, an. 1574. 4. historica continens, ex scriptoribus etiam Græcis atque Latinis collectus. Neque sic

tamen pœnitet lustravisse tuum librum, o caput suavissimum, quem antea videram nunquam, et qui non ubivis inveniendus, etsi præstantia atque raritate non accedat ad illum, quem adhuc quæro. *Tubam anti-Jesuiticam* (ut ita loquar) legi, nec sine risu, placuitque mirifice. Secretis Jesuitarum, in Memoriis Trevultinis exstantibus, adscripsi, quæ in meo discrepant exemplo, ne omissis quidem minimis, et parum aut ad illustrandum aut eruendum sensum vel legitimum vel alienum pertinentibus. Ennemannum tibi arrisisse, gaudeo, mihique gratulor, qui amicum tibi, amicorum principi, conciliare valui, non indignum amore tuo. Magis est eruditus et humanus, quam Suecia ferat, in qua pauci dantur vere eruditi, humanus fere, ut recte judicas, nullus. Joachimi CAMERARII thesauros tibi contigisse, majorem in modum lætor, precorque, ut eadem fortuna plures posthac Græciæ auctores, sive scripti manu, sive emaculati a viris doctis ad te veniant, quorum fructus in me simul redundabit. Jam video, me, ubi semel ad te venero, non tam cito huc redire posse, quum tam multa sint, quæ penitius intueri gestio. Sed et gratias ago, quod notabilia illa de CAMERARIO, (cujus opera junctim edere in animo quondam habuit WEBERUS noster, qui cum alia tractare nunc debeat,

ab

ab humanitate aliena , vix de popularis sui operibus cogitabit amplius) non ignota mihi esse volueris. Basilii M. opera, ut componere cum editione mea Basileensi possim, enixe rogo : nulla tamen hic festinatione opus : poteruntque fratri meo tradi, qui una cum libris aliis, quos exspecto, ad me mittet. Quod superest paginæ, implebunt manuscripti codices Ebræi tui. Unum ex illis excussi, qui quum Geneseos quædam, Exodi item ac Deuteronomii, nec non Jobum integrum complecti deprehenderetur, missus a me fuit ad BURCKLINIUM, in edendo opere Biblico jam occupatum, sumtu Andreæ propediem edendo. Dabis et hoc amicitiæ meæ, neque ægre feres, de alieno me fuisse ad tempus aliquod, quod aut tu præscribere poteris; aut ego, liberalem. Alter Codex, major ille, nondum a me acri et diligenti oculo lustratus, quare quid singulare habeat præ editis precum (nam has exhibet,) libellis, dicere nequeo. Ille liber, qui in forma quarta scriptus, et qui primum occupabit manuscriptorum tuorum Ebraicorum in quarto, uti vocant, locum (sic enim numerare soleo, vel mei in usum, si forsan repetendus aliquis esset codex, aut denuo inspiciendus, aut quod inde allatum, sed in dubium vocatum a malevolis comprobandum esset, servato temporis ordine, quo

 me-

mecum abs te communicantur) continet à principio plenum orationum Judaicarum volumen, in queis multæ occurrunt, quæ in editis secus se habent contra Christianos composita. Notavi illa, schedæque pro consuetudine mea inscribam. Alteram vero ejus voluminis partem a Maimonide esse profectam, aut, ut rectius loquar, ad eum referendam, dubito. Etsi enim eo usque nondum in ordine, quem mihi ipsi imperavi, pervenerim, quantum tamen ex stylo et toto habitu, atque lemmatibus quibusdam judicare valui, recentioris est scriptoris; de quo magis certa scribam proxima occasione. Ad extremum, ne alius videar factus, tua mihi denuo imploranda est benignitas. Scio Acta litteraria omnia, tam Gallica, quam Belgica tibi esse; quod si igitur in his videris alicubi observationes meas castigatas, velim significes. In Actis Eruditorum Germanicis, et in Aula libraria inveni illas recensitas, cum majori, quam merebantur, elogio; video tamen quædam aut non rite intellecta, aut præter rationem reprehensa, quæ omnia colligere, et ultimæ parti mearum observationum, (quæ sexta erit, si Deo visum fuerit) præfigere, cum uberiore mentis meæ declaratione, objectorumque modesta declinatione. Non ita vanus sum, ut Gallos aut Batavos ineptiis meis percensendis elegantes chartas commaculaturos

existimem ; id tamen , si fecerint , num rectius in hominis Germani mente (quam brevitas, fateor , facit obscura) consequenda fuerint versati , cognoscere equidem aveo. Tu , sive stultum meum desiderium , sive non plane ineptum , vehemens certe , et tui unius ope restinguendum , implebis: atque ut facias, denuo rogo. Tandem vale , et garrulo amico tuo fave. Giessa XVI. ante Kalendas Maii MDCCXIV.

LXXXIV.

JO HENRICO MAJO FIL.

Ita est, Amice suavissime, cum Musis nonnisi bene nobis esse potest , fallunt nobis non tractabile tempus , cœlique asperam tempestatem experiri non patiuntur. Imo

Est , ubi plus tepeant hyemes , ubi gratior aura.

Ego sane dubius semper fui , an æstatem an hyemem præferre debeam. Multum, fateor , delectat illa , ast voluptatibus atque otio indulgere etiam nos facit ; tristior hæc videtur , sed diligentiores nos reddit ; uti etiam bonæ frugis homines id , quod affert , tædii , gratis laboribus dulcibusque studiis facile vincunt. Nec sane æstas suis caret molestiis , nec scio , an calor an frigus stu-

ſtudioſis plus adferat incommodi? eo magis, quod illum nulla ratione evitare, hoc vero fornace probe calente abigere queas. Phyſicas ac medicas rationes bene multas in medium afferre poſſem, quibus aptius eſſe ſtudiis hybernum præ æſtivo tempore evincerem. Sed nolo iſtis tempus jam terere, ſufficit, quod intelligas, in hoc etiam conſpirare animos noſtros, meque tecum ridere homines, qui Rectorem Poli arguere non verentur, dies, ut eſt in veteri illo, humeris protrudunt ac conficere nequeunt difficiles. Nullam ſane temporis moleſtiam experitur, qui ſuaviſſima Muſarum ſocietate gaudet, qui dulciſſimo amicorum in præſentia ac per litteras fruitur commercio. Nullum de te, amice dilectiſſime, nullum mihi eſt dubium, quin ex animo loquaris, nec etiam de me aliter, ſpero, ſenties. Sancte alias tibi adfirmare poſſem, quod, ſi calamum ad te ſcripturus arripiam, manus cum corde ſaliant mihi, adeo ut præ immoderatione verborum efferar, nec tamen commoda ſatis verba, quibus meam tibi voluptatem animique propenſionem declarem, invenire queam, ut garrulus tibi procul dubio videar ſæpius, moleſtusque fiam. Quod ne jam quoque accidat, ad alia pergo. Libros a te remiſſos recepi in tempore, nec ſine gratia. Quotiescunque enim libri vel ad te mittuntur, vel a te mihi redeunt,

magnum

magnum mihi videtur facinus, Disque gratias ago, quod egregia ſtudia tua adjuvare aliquo modo queam. Ne igitur bene merendi occaſionem prætermitterem, illico Dno Raumburgero D. Baſilii Opera juſſu tuo dedi. Doleo autem, quod Judæus utrumque noſtrum feſellerit, alium librum ſubſtituendo, quam tu, amice dilectiſſime, egoque tui cauſa deſideraveramus. Adigam vero illum, ut genuinum etiam procuret. Quod Jeſuitica monita conferre, lectionesque e vetuſtis membranis notare volueris, rem gratiſſimam feciſti. Inſigni autem beneficio me obſtringes, ſi quæ de Ebraicis codicibus manuſcriptis mones, ac in poſterum comperies, in ſchedula, ut jam alias rogavi, notaveris. Illos enim in fronte voluminis ſuſpendo, velut hederam, ab exacto judicio tuo, profundaque in his cognitione, inſignem. Codicem Biblicum BURCKLINIO te conceſſiſſe, tantum abeſt, ut improbem, ut potius gaudeam, id a te factum eſſe. Utinam vero inveniat, quæ ad illuſtrationem ſacrarum paginarum facere poſſint! Litteraria Diaria, ſeu acta lubentiſſime pervolvam, imo hoc ipſo momento in eo eram, ſed Cæſaris, non Romani, ſed veſtratis præſentia me avocat. Salutem tuo nomine dixit, amice dilectiſſime; eo lubentius igitur, apertisque, ut ajunt, in proverbio, januis, Bibliothecæ ſcilicet meæ, ex-

cepi

cepi eum, qui ob morum ſuavitatem, notitiamque, quam ex probe peractis itineribus reportavit, alias me cepiſſet. Proxime igitur deſiderio tuo, meoque, utpote laudum tuarum avidiſſimi, ſatisfaciam. d. XXI. Maj. 1714.

LXXXV.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Quod in Senatu Areopagitarum apud Athenienſes facere debebant rhetores; id mihi nunc dictum putabo, *ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν* ad tuas jucundiſſimas reſponſuro. Baſilii M. opera, curante fratre meo, rite accepi, ſatis egregia illa, et ERASMI præfatione illuſtria, quæ me ita cepit, ut bis, ter, relegere non dubitaverim. Attulit quoque ſecum Rudigerus Pſalterium Arabicum, forte mihi donandum. Quod ſi ita eſt, pro mea ruſticitate lubenti ac grato animo illud accipio. Recuſaveram illud nuper, amicorum optime, non quod eam ipſam editionem jam tum poſſederim, ſed quod, cum optionem, aut librum iſtum Arabicum, aut SCHOTTI bibliothecam deſignandi feceris, ego hanc maluerim, illum me poſſidere

possidere in Bibliis Polyglottis indicaverim. Jam quia raram et pretiosam illam editionem, quæ recusa est Parisiis 1619.4. et quam evolvere in bibliotheca Wagenseiliana datum fuit, mihi offers, et contra tuam liberalitatem, et in meam utilitatem injurius essem, si in tui memoriam adservare ad splendorem libellorum meorum detrectarem, quod a tam illustri amico provenit. Accipio, inquam, Psalterium istud, sed ea conditione, ut nullos posthac mihi libros dones, nisi quos ipse, jam in rogando incivilis, abs te petiero. Pudet enim me, tot indies a te beneficiis adfici, nec benevolentiam tamen tuam similibus officiis a me ornari posse. Idem Rudigerus et gratias tibi, amice suavissime, agit maximas, ob humanitatem insignem, qua illum excepisti, et per me nunc tibi nunciat, inquisivisse se Butisbaci apud D. Klotzium de historia Francofurtensi manuscripta, in Dietericianis libris latente; at possessorem adfirmasse, nullam plane inter eos inveniri; sive vere ita se res habeat, sive truncus ille, quod ab ejus ingenio maxime moroso non alienum est, usum ejus invideat. Codicem illum manuscriptum tuum, qui Maimonidis quædam continere creditur, accuratius volvi, neque volam ejus Doctoris, neque vestigium in eo deprehendo, quod impostori tuo inculcare poteris, ne asinum me putet.

Est

Eſt liber aliquis *Taschbez*, ut Judæi vocant, ritualis, et nondum editus, quantum novi; neque enim aut in catalogo librorum Rabbinico, *Siphte Jeſcherim*, aut in Bibliotheca Buxtorfiana, occurrit, aut mihi, (qui alium hujus nominis habeo, ſed non tam plenum, copioſum, elegantem, et prorſus a tuo diſcrepantem,) viſus; niſi forſan in Bartolocciana, qua deſtituor, exſtet. Intra octiduum abſolvam luſtrationem librorum tuorum, quos, oblata occaſione, ad te remittam, demto forſan codice illo, quo jam BURCKLINIUS utitur. Si interim ſubmittere volueris alios, et illos avidiſſime pervolvam. Cum Boethio lente procedit negotium, eo quod nonniſi ſubſecivas horas ei impendere debeam. Ceterum, quod et in mei gratiam Acta litteraria inſpicere, et nuper KAYSERUM, popularem noſtrum, tanta benevolentia, mei cauſa, excipere volueris, ſignum eſt ſolitæ humanitatis tuæ, ſummeque erga me propenſi animi. Perge ita, vir amiciſſime, et quem ſemel benefactis reddidiſti tuum, eum favore tuo, quantum libet, obrue: nam a te ſolo vinci glorioſum eſt. Adderem nunc plura, ſi, quæ adjicere poſſem, ſupereſſent; ſed ita me exhauſi, ut pumice exiſtam aridior. Neque etiam MANUTII eloquentia præditus ſum, qui amicum in epiſtolis caſtigat, ſcribere nolentem, quia nulla ſuppetebat

petebat ſcribendi materia. Quam tamen ipſam ſterilitatem ſuo exemplo ſatis eſſe fœcundam oſtendebat MANUTIUS. Vir quidam nobilis et pius in Belgio conſilium cœpit edendi Biblia Polyglotta occidentalia; verſionem Latinam, Hiſpanicam, Italicam, Gallicam, Germanicam, Belgicam, Suecicam atque Anglicam, complectentia. De verſione Germanica eligenda dubitatur: ſunt, qui eam, quam nunc habemus LUTHERI, alii antiquiores, alii recentiores et interpolatas, admittendas volunt. Mihi totum opus ad pompam magis, quam utilitatem, accommodatum videtur. Nec enim verſiones hæ ſunt occidentales omnes, neque adeo etiam rariores et præſtantiores, quas vel maxime in tam illuſtre opus inferendas oportebat. Ubi Hibernica, Sclavonica, Danica, Vngarica, aliæ? Tabulas quasdam æneas, chorographicam puta, et eam, quæ ad cultum Leviticum pertinentia, item ad nummos et pondera facientia exhibet, adjicient. At hæc ipſa jam in tot comparent libris, unde petentur. Denique præfatio accedere debet, introductionis vicem gerens, et inſtituti rationes edifferens. Ego ne teruncio quidem redimam univerſum et moleſtum illud opus, quamvis illuminatum forſan egregie. V. ante Kal. Majas. 1714.

LXXXVI.

JO HENRICO MAJO FIL.

D. Baſilii opera, Arabicumque Pſalterium te accepiſſe gaudeo; aſt ægre me habet adjecta proteſtatio, favori, meæque in te voluntati plane contraria. Ne igitur repetas unquam quæſo, Amice chariſſime, nec enim curabo illam, ſed quavis data occaſione contraibo. Licet enim in omnibus obſecundem tibi, meus tamen in te amor nullis a verecundia tua legibus vel limitibus ſe circumſcribi patitur. Utinam pluribus ſeſe exſerendi facultas frequentior modo foret. Klotzium Dietericiana de Civitate noſtra collectanea negare non miror, cum de ſumma hominis, vel ſtipitis, nam nomen et omen habet, invidia certiorem me nuper reddideris. Gratias autem cognato tuo, quem ſalvere jubeo, habeo, quod auriculas moroſo vellere non detrectaverit. Codicem Hebræum Maimonidis non eſſe, Impoſtori, qui vendidit, exprobrabo. Aſt ſufficit, quod ineditus, nec ſpernenda continere tibi videatur. Submittam vero, uti jubes, brevi alios, quibus adjiciam inſignem aliquem Æthiopicum, quo hiſce nundinis potitus ſum. Mille flor. æſtimaſſe illum, qui ex Abyſſinia detulit, aſſeverabat Wetſtenius, et in

ſchedula

ſchedula capſulæ, qua includitur, agglutinata ab Abyſſinæ Imperatoris Legati Chodja Morad filio deſcriptus dicitur (g). Evangelia continere inſcriptio promittit: verum Pſalterium, Proverbia ac Canticum complecti Reverendus Dn. MIEGIUS Profeſſor et Conſiſt. Heidelbergenſis, qui eum manibus tractavit, certiorem fecit. Quod an ita ſe habeat, et an editus melior ſit Codex, intelligere abs te aveo. Nitide in membranis exaratus, et ſatis antiquus videtur utique. Cum nullus adhuc ejus idiomatis mihi fuerit, lætor, quod meam Orientalium ſupellectilem illo ornare æquo ſatis pretio potuerim. Acta Litteraria ſumma diligentia excuſſi; aſt nullibi adhuc aurearum Obſervationum tuarum mentionem, præterquam in locis a te ipſo, amice dulciſſime, indicatis inveni. In culpa procul dubio eſt exiguum Editoris tui cum exteris commercium. Magis tamen h. e. pro merito innoteſcent brevi ſpero. Doleo autem, quod, quæ ſingulis menſibus eduntur ab Exteris, Diaria habere nequeam, ſed ſingulis ſaltim nundinis exſpectare debeam. Cæterum inquiram ſedulo, teque, amice mellitiſſime,

 mo-

(g) vid. de hoc Codice Bibliothecæ Vffenbachianæ MS. Tom. I. Part. III. f. 695. ſq.

monebo. De Bibliis Polyglottis occidentalibus, quæ in Belgio parari ſcribis, tecum plane ſentio. Quam plurimis, rarioribusque ejusmodi verſionibus Bibliothecam meam ſuperbire non ignoras, quas omnes in unum congerere ſumtuoſum potius ac operoſum, quam utile futurum. Moris nunc eſt, ut in Bibliopolarum gratiam, commodumque ingentia talia opera conſarcinentur, quæ Reipublicæ Litterariæ oneri magis ſunt, quam utilitati. Ego certe inſtitutum iſtud ſemper improbavi, damnumque exinde ſenſi haud leve, mecumque omnes, qui aliqualem Bibliothecam exſtruunt. Certe nonniſi Schedæ, libellique minores in unum colligendi eſſent; majora vero opera ſeorſum luci reddenda, ut cuilibet integrum eſſet, ſibi ſeligere, quæcunque arrident atque conducunt. Imo ne opera quidem unius autoris, inprimis cum varii argumenti ſint, conjungere, quod ſolemne hodie eſt, conſultum duco. Hinc enim fit, ut nonniſi ditiores comparare queant, aliis carendum ſit. Imo fraudi multis eſt, qui cum pleraque autoris ſcripta, ab ipſo, dum in vivis eſſet, temporis ſucceſſu edita, jam dum poſſideant, ob unius alteriusve libelli poſthumi cauſam, omnia iterato, multaque ſæpius, quæ ſtudiis ſuis non inſerviunt, inviti acquirere cogantur. Quæ omnia, quam ſæpe mihi maximo meo incommodo accidere ſoleant,

leant, facile conjicis, ipſeque, amice dilectiſſime, non raro, quod nullus dubito, experiris, ideoque non malam in partem interpretaberis, quod hiſce querimoniis chartam impleverim. d. 8. Maj. 1714.

LXXXVII.

JO. HENRICUS MAJUS FIL.

Quod Judæus codicem putabat Maimonideum, id verius compendium Maimonidæ dici poſſit; quum ad hujus doctoris ductum ſit compoſitum. Alterum illud majus volumen vere complectitur omnia, quæ prædicabat Apella; eſtque magni pretii liber. Dicam vero de his ſuo loco, in ſchedis puta peculiaribus. Impenſe gaudeo, Æthiopicum quoque codicem ad te, amice ſuaviſſime, perlatum eſſe. Is enim, quo rarior, eo pretioſior. Paucæ ſunt in Germania noſtra, immo Europa, bibliothecæ, quæ ejusmodi ornamentis ſuperbiant. Judicium D. MIEGII verum eſſe, non dubito; neque tamen detrecto, ubi volueris, eum conferre, et varias inde lectiones, ut bene mones, excerpere. Bonas te horas, Amice, in evolvendis actis litterariis, mei cauſa, perdidiſſe, ſane per-

perquam vehementer doleo. Stultum, fateor, fuit petitum meum, quamvis aliqua ratione necessarium. Dum enim secundam editionem libri primi mearum observationum hac æstate edendam denuo augere studeo: molestus tibi, in negotio inutili, fui. Veniam da, quæso, impudentiæ ac vanitati meæ, atque tædii, quod tibi creavi, non recordare amplius. Prævidi equidem, frustraneum fore laborem tuum; at desiderium me fecit ridiculum. Petieram nuper, ut ætatem characterum, quibus folia tua Græca sunt exarata, ex Montfauconio indicares; repeto nunc id ipsum, sed ea conditione, si absque incommodo fieri potest. Estne tibi, amice mellitissime, vita Basilii M. ab Amphilochio consignata? Si est, inquiras tantum velim in indice, quid de Eubulo, præceptore Basilii, cum Athenis daret operam litteris, referat, et mihi Græco pariter Latinoque sermone nuncies. Scire pariter gestio, an ad tuas manus sint excerpta Grotii Poetica, edita Parisiis 1623. 4. Ceterum justa est tua querela de operibus, inutilibus accessionibus auctis, item de vastis corporibus, exhibentibus ea, quæ sparsim fuerunt edita. Sequor judicium tuum, et doleo. V. Id. Maj. 1714.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

JO. HENRICO MAJO FIL.

Folia Græca, Epiſtolam ad Hebræos exhibentia, quæ nuper oblitus ſum, ſeptimi vel certe octavi ſunt ſeculi. Scripturæ enim, vel characteri ſpecimen codicis, quem MONTFAUCONIUS lib. III. cap. 5. p. 223. ſeq. inter præſtantiſſimos omnium codices jure numerandum cenſet R. R. P. P. Jeſuitarum Collegii Ludovici Magni &c. ad amuſſim concordat atque reſpondet. Nec Amphilochii vita Baſilii M. nec GROTII Excerpta Poetica Pariſiis vulgata ad manus ſunt, ambabus alias offerrem tibi, cum nihil mihi ſit jucundius, nilque antiquius, quam ſtudiis inſervire tuis. Aſt quantum eſt in tanta librorum multitudine, quo carendum nobis! Poſtrema nec cognita, nedum viſa mihi unquam fuere; aliena enim a Philoſophorum de fato ſententiis a viro Illuſtri Elzeviriorum typis editis, quas utique poſſideo, exiſtimo. Quo de certiorem me reddas velim. Tantum ad ultimas tuas reponendum fuit. Nunc arrige aures, amicorum dilectiſſime, atque quæ benigna ſors larga manu noviſſime obtulit, accipe, Codices nimirum manuſcriptos quatuordecim, una vice, præſtantiſſimos. Inter hos erant Græcus,

Homilias S. Macarii complectens, porro Statius, Virgilii Georgica, Juvencus, manuſcripta aliquot Turcica, ac denique Faſciculus Epiſtolarum avtographarum a Celeberrimis Viris ſcriptarum. In his eminent quædam GROTII, Caroli PATINI, Jo. DURÆI, irenicum ſtudium, quod tanto urgebat ardore, probantes; ac denique SCHMIDII ad SCHICKARDUM quam plurimæ. Quas ultimo nominavi loco, critici ſunt argumenti, ideoque tibi, amice chariſſime, præ reliquis arridebunt. Impenſe ſane gaudeo harum quoque deliciarum aliquid propitiam alias fortunam, in his tamen hactenus parcam, dediſſe. O me fortunatum! ſi tales mihi ſæpe eveniant dies, albo lapillo notandi! Epiſtolarum mentio Meiſnerianarum Theſauri, quo tu gaudes, memorem facit, atque ſimul impudentem, ut ſcilicet illud, quod de edendis illis ad Eruditos ſcripſiſti, Schediaſma expetam; Illius enim compos nondum factus ſum. Significabis etiam, an conſilium, quod nolim, mutaveris, et quæ cauſæ ſint, quæ impediant, vel retardent. d. 19. Maj. 1714.



OB-

OBSERVATIO
de
Epistolis Virorum Cel. autographis ad Wilh. SCHICKARDUM.

Quantum VFFENBACHIUS meus, ὁ μακαρίτης, epistolis Schmidii (Ulrici haud dubie (h), Ecclesiastis ac Philologi quondam Ulmensis egregii) ad Virum summum, Wilhelmum SCHICKARDUM, Mathematicum atque Philologum Tubingensem famigeratissimum, exaratis gavisus est, tantum egomet mihi gratulor de epistolis, ad eundem SCHICKARDUM a Viris celeberrimis olim datis, iisque autographis, quarum quinquaginta circiter supra ducentas inter reculas meas asservo. Interest autem rei literariae, nosse, ubi istius modi cimelia lateant, cum praesertim parum abfuerit, quin prorsus cum reliquis Viri optimi schedis interciderint: de quo sinistro earum fato Theophilum SPIZELIUM audire juvat, ita disserentem (i): *Ut Archimedis doctum olim et eruditum pulverem*

(h) vid. b. J. C. WOLFII Conspectum Supellectilis Epistol. p. 26.
(i) in Templo honoris reserato, p. 340.

ferox et impius miles turbavit, cumque ipso disjecit domino; ita simile propemodum fatum alter hic Archimedes subiit. Etenim in Schickardum fera immanis; lues scilicet pestifera post elata suorum funera anno ævi currentis quinto et trigesimo (1635.) desæviit, tot egregios ejus turbavit circulos, imo vim truculentiamque in ipsas etiam chartas et scrinia, atque hinc inde varie sparsa et disjecta opuscula furiose convertit, ita ut in communi illo metu et terrore, ut fit, inter hominum imperitorum manus, qui servandæ domui adhibiti, vel prorsus perierint, vel ab aliis forsan clam inde subrepta fuerint. Ipsemet SCHICKARDUS id veritus est, paulo ante præmaturam mortem, dum pestem fugiens in Alpibus Wirtembergicis oberraret, Duslinga, quam Pathmum suum nuncupat, die Michaelis A. 1635. hæc ad BERNEGGERUM suum perscribens (k): *Subito sum domo mea exturbatus lamentabili morte sororis, quam ex Herrenbergæ cineribus profugam illuc recepi. Cum enim ipsa communi lue corriperetur, vidi meam quoque vitam periclitari, nisi fugerem illico. Ita cum puero, quem solum habeo, emigravi statim, et hactenus in montanis Albæ oberravi miserabiliter, ut vitam quo-*

(k) vid. Epistolas Wilh. SCHICKARDI et Matthiæ BERNEGGERI mutuas, Argentorati A. 1673. in 12. typis excusas, p. 214. sqq. conf. p. 209. et. 212.

quomodocunque redimerem. - - Nisi vererer aedium mearum, inprimis bibliothecae, direptionem, nec id minus a cive avido et invido, quam praesidiario milite, proficiscerer omnino hinc aliorsum, et secederem in Helvetiam vel Genevam, quando adhuc licet, ante imbres hyemales. At incertus consilii sum, neque mihi consto in istarum curarum ancipiti fluctuatione. Clementer invitavit ipse illustris D. PETRISCIUS, nec terreret via longinquitas, obstat unus ille omnia interim amittendi metus. Ita toto fere anno hactenus nunquam licuit mihi esse securo, aut studiis attente animum applicare. Durabo tamen Dei gratia, et spe meliorum hac praesentia boni consulam. Insignem igitur percepi animo laetitiam, cum bonis avibus meas in manus, istiusmodi cimeliorum avidissimas, inciderent illae epistolae, tanquam pretiosae ex isto naufragio tabulae, eoque majoris faciendae, quod pleraeque a Viris illius aevi celebratissimis profectae fuerint. En tibi eorum nomina. Sunt autem Jo. Henricus ALSTEDIUS, Jo. Valentinus ANDREÆ, Jo. BAINBRIDGIUS, Jac. BARTSCHIUS, Matthias BERNEGGERUS, Jo. Henricus BISTERFELDIUS, Guilielmus BLAEU, Ismael BOULLIALDUS, Joannes BUXTORFIUS, Pater et Filius, David CLERICUS, Christophorus CRINESIUS, Ælius DEODATUS, Jo. Georgius DORSCHEUS, Theodorus EBERTUS, Melch. Sylv. ECKHARDUS, Christophorus

rus FORSTNERUS, Jo. FREINSHEMIUS, Petrus GASSENDUS, Jac. GOLIUS, Jac. GOTHOFREDUS, Hugo GROTIUS, J.J. HAINLINUS, Isaac HABRECHT, Jo. Bapt. HEBENSTREIT, Martinus HORTENSIUS, Jo. JONSTONUS, Jo. KEPLERUS, Petrus KIRSTENIUS, METROPHANES Critopulus, Daniel LIPSTORPIUS, Petr. MEIDERLINUS, Jo. Bapt. MORINUS, Nicol. Claudius Fabricius PEIRESCIUS, Nicolaus PETRÆUS, Jac. REIHINGIUS, Andr. RIVETUS, Jac. SCHALLER, Jul. SCHILLERIUS, Jo. SCHMIDIUS, Gabriel SIONITA, Paulus TARNOVIUS &c. Taceo epistolas a doctis quibusdam Rabbinis ad eundem Ebraice scriptas.

Notum est, Mich. Gottl. HANSCHIUM Vindobonæ A. 1718. in majori forma edidisse Jo. KEPLERI, Mathematici quondam Cæsarei, aliorumque Epistolas mutuas. In ea collectione f. 668. sqq. plures quidem SCHICKARDI nostri ad KEPLERUM exhibentur epistolæ, unica vero tantum f. 670. hujus ad illum responsio. Reliquæ ergo Kepleri, quæ penes me sunt, ineditæ cum Schickardi epistolis, ibi vulgatis, utiliter conferri possunt. Hugonis GROTII, Belgarum Phœnicis, sex mihi in promtu sunt eximiæ ad SCHICKARDUM epistolæ, quarum nulla comparet in grandi

di illa Grotianarum Epiſtolarum collectione, quæ Amſtelodami A. 1687. in fol. prodiit. Supra jam provocavimus ad Epiſtolas SCHICKARDI et BERNEGGERI mutuas, Argentorati A. 1673. in 12. publici juris factas; una tamen vel altera Berneggeri inter noſtras latitat adhuc inedita. Omnium vero præſtantiſſimæ ſunt magni illius PEIRESCII, immortalium in bonas literas meritorum Viri, cujus vel ſolum nomen elogium eſt, ad Noſtrum Epiſtolæ, omnes fere ita copioſæ, ut integræ veluti diſſertationes eſſe videantur, digniſſimæ proin, quæ luci aliquando exponantur publicæ. Quanti SCHICKARDUM, ceu Virum publico bono natum, fecerit PEIRESCIUS, ex ejus vita a Petro GASSENDO eleganter deſcripta, paſſim elucet. Multo autem clarius id patet ex epiſtolis Peireſcianis, in quibus tantis SCHICKARDUS effertur laudibus, ut unius margini hæc Vir modeſtus adſcripſerit verba: *Hæc enormia et nimis Gallica non agnoſcit mea tenuitas.*

Ipſe SCHICKARDUS ſupra ad BERNEGGERUM meminit, clementer ſe a PEIRESCIO invitatum eſſe, ut in illis belli calamitatibus, quibus tum Germania noſtra undique premebatur, in Galliam ſe ad eum tanquam aſylum reciperet. Sunt illæ literæ longe humaniſſimæ mihi ad manus,

nus, quibus omnia ipsi sua ultro et liberaliter obtulit literatorum ille Mæcenas plane incomparabilis, Aquis Sextiis A. MDCXXXV. d. X. Julii scriptæ. Gassendus quoque hujus rei mentionem facit (l), cujus en verba: *Audita morte optimi SCHICKARDI, quem pestis a Novembri usque superiori (A. 1635.) abstulerat, omnem diligentiam adhibuit, ut inedita ejus opera servarentur, lucemque acciperent: id agens præsertim Matthiæ Berneggeri Argentinensis, Viri celebris, interventu. Præterea autem, ut ad ipsum, intercedente Ælio DEODATO, miserit varia Epicedia, quæ dum evulgarentur, Thomas LANSIUS, JCtorum decus, et τȣ͂ μακαρίτȣ Achates, edi simul procuravit orationem funebrem, in qua Zacharias SCHÆFFERUS, insignis eloquentiæ et historiarum apud Tubingenseis Professor, tacere non potuit, SCHICKARDUM fuisse a PEIRESKIO prolixe, splendideque invitatum, ut tumultus patriæ declinans, ad ipsum diverteret, quietem studiis assecuturus.* Literæ PEIRESCII, quibus BERNEGGERO negotium illud imposuit, annexæ sunt mutuis Schickardi et Berneggeri Epistolis p. 217. sqq. e quibus nonnulla huc transferre non piget. *La funeste nouvelle du decez de feu Monf. Schickard, que Monf. Deodati nous a fait sçavoir de vostre*

(l) in Vita PEIRESCII, Lib. V. p. 456. sq. edit. Hagiens. A. 1651. in 12.

voſtre part, nous a grandement affligez Monſ. Gaſſend et moy, et tout ce qu' il y avoit de plus curieux en ce quartier de deça, ou ſa vertu et ſon erudition ſinguliere eſtoient en veneration tres grande, et comme du premier homme du ſiecle. Pour moy je vous puis aſſeurer, que la perte de feu mon Pere, qui eſtoit la plus ſenſible que j'euſſe eu de ma vie, ne m' avoit pas touché plus avant, que celle de ce grand perſonnage, que je n' honoroys pas moins, que mon propre Pere, et ne l' euſſe pas moins volontiers ſervy, ſi j' euſſe peu, ne avec moins de reverence et charité. Car je m' eſtois desvoué tout a luy du meilleur de mon Coeur, et ſans reſerve de rien, qui me peuſſe eſtre loiſible. Regrettant infiniment de ne luy en avoir peu bailler des preuves conformes a mes voeux. - - Vous ſuppliant de nous en vouloir tenir advertis par l' entremiſe de Monſ. Deodati, a qui je ne ſuis pas moins acquis que Vous, et par qui je ne manqueray, de Vous faire tenir tout ce peu que je pourray recueillir de nos amys, ſur le ſujeƈt et a l' advantage de ce grand Genie de la nature, que Dieu avoit faiƈt naiſtre en nos jours, et qui meritoit bien, d' eſtre mieux recognu, qu' il n' a eſté. Mais je ne ſçay ſi nous pourrons rien contribuer qui ſoit digne de l' eminance de ſon merite. Principalement en ce chetif pays, qui eſt ſi ſterile, &c.

Inter alia Epicedia, quæ, ergodiocte PEIRESCIO, a Viris magni nominis SCHICKAR-

CKARDO scripta sunt, in promtu mihi quoque est unum, a Luca HOLSTENIO profectum, quod, num editum jam sit, ignorans, in præstantissimi Viri, quo Suevia nostra superbit, laudem hic inseram. Ita autem de eo Ælius Deodatus Lutetia Parisiorum A. 1637. d. 27. Apr. ad Berneggerum: *Depuis Monf. de PEIRESC m' a encores envoyés les enclos vers sur le mesme subject* (sur la memoire de feu Monf. Schickard) *qui sont de Monf. HOLSTENIUS, Bibliothecaire du Cardinal Barberin, que vous trouveres tres beaux et d' un sens fort relevé, le quel toutes fois ne desire point estre nommé, au cas que l' on lis public, comme vous verrés par l' extraict de sa lettre. L' on pourra y supposer quelque nom feinct, ou bien anagrammatiser le sien. Monf. PEIRESC m' escript de faire le mesme de ceux de Monf. Dormalius, c' est assavoir de supprimer son nom, ou de le desguiser: mais je prevoy, qu' il sera trop tard, et qu' ils seront desja imprimés. Toutes fois vous en pourrés escrire à Monf. Lansius.*

Ipse vero HOLSTENIUS hæc ad PEIRESCIUM Roma anno eodem d. 7. Martii perscripsit: *Mitto nunc versus aliquot, Musis invitis, extemporali fere abortu effusos, qui si tibi minus placuerint, nec mihi placuisse scias. Mitto tamen qualescunque, ne hac quoque in parte diutius officium meum desideres. Id fateor, et tuam exspectationem, et insignem magni illius Viri eruditionem meliori fuisse carmine dignam. Sed bonum factum,*

factum, quod vel hosce tandem ab genio meo ἀμούσῳ extorserim. Si in doctorum manus divulgare cum aliis tibi constitutum est, quaeso nomini meo parcas, et quod versus mali sunt, et ne quis ex scrupulosis illis magistris me homini non-Catholico lessum fecisse cavilletur. Sed accipe jam ipsum Epicedium.

In obitum Clar. et Doctissimi Viri,
Guilielmi Schickardi, Professoris Tubingensis.

Abdita qui magni lustrans penetralia mundi
Descripsit radio singula et eloquio:
Qui linguas ritusque hominum cognoverat omnes,
Aptavitque novis prisca, profana sacris:
Ausus Idumaeis Nicarim praecingere palmis,
Subdens cum Solymis Susa, Tubinga, tibi:
SCHICKARDUS jacet hic, fatis praereptus iniquis,
O nimium studiis fata inimica bonis!
Patria quem moriens communi funere mersit,
Mortuaque extincto pro tumulo incubuit.
Sors indigna quidem, sed non miranda: sepulchro
Non potuit virtus tanta minore tegi.

Adjicere placet epistolam Caroli Bardili,

 artis

artis salutaris Doctoris , qua consilium medicum suggessit SCHICKARDO nostro, Viro immortalitate digno, cum jam quædam suorum, peste extinctorum (m), funera mœstus vidisset, Tubingæ A. 1634. vigiliis natalitiis exaratam :

„Salve
„omnibus e meis amicis
„Antistes mihi , si forent, trecentis.
„Quamvis optima tibi suaserim, Excellentissime Vir , adhuc tamen in pectore meo delitescit remedium, quo majus sol non vidit, omnibus Chymicorum destillationibus, coagulationibus, filtrationibus, panacæis , longe longe excelsius : Arrige aures , quatuor solum literis conflatum : FVGE. Non quod nostra Medicina probatis non sit undiquaque plena pharmacis , sed, quod omnes , quo doctiores, quo magis periculum hoc cominus non eminus inspiciunt Medici, tutius existiment abesse, et aeris aliam faciem et ideam induere. Causas habes sexcentas. Imaginatio choragus esto. Quid? cum mundus regatur opinionibus, transacto etiam in solitudine , opinione hominum nullus dies decursus est, et tot „dies

(m) vid. Epistolas Schickardi et Berneggeri mutuas, p. 209. 211.

„dies formidabilis es , quot in casa illa „delitescis : ut principium numerationis „opinione hominum incunabula ducat à „die illo, quo ex ædibus egressus es.

„Crede mihi haud istis ars mea majus habet.

„Domestica facile dispones , et filiolum „hujus rei ignarum victui tuto locabis : „Si vel sola Herenberga sit , vel locus „paganus ; quæ tuo relinquuntur judicio. „Crede mihi hæc ex candido et sincero „animo proficisci. Neque aqua , neque „quidquam , quod in mea , adeoque me-„dica est potestate, te deficiet. Spondeo „etiam tibi operam fidelem et promptam, „qualem necessitas et occasio rerum agen-„darum requirit. Thoracem meliorem „non habebis , quam si animum OBFIR-„MES , in qua obfirmatione discedens uno „die plus proficies , quam hic integris se-„ptimanis. Summa : Galeni consilium „est :

„Mox , longe, tarde , cede , recede , redi.

„Melius redivivus Hippocrates non da-„bit , et resuscitatus Galenus. Nam cum „fomes in aere sit ædili , et in immate-„riali contagio , aer autem nullis parti-„bus corporis , etiam nulli victui , sit in-„accessus , absentia tua medela erit. Va-

„le, et occupato ignosce, et me brevi „tuis literis recrea„.

Sed SCHICKARDUM στοργή et bibliotheca prohibuit, quo minus tum salutari huic consilio locum daret, domoque sua, pestifero aere infecta, excederet: quod demum sero nimis, anni scilicet posterioris autumno, lamentabili sororis morte compulsus, fecit.

Tandem addo, SCHICKARDO nostro, pestifera lue A. 1635. mense Novembri sublato, unicum fuisse fratrem Lucam, cujus honorificam mentionem in literis supra citatis p. 218. et 223. instituit PEIRESCIUS. Fuisse illum elegantis ingenii et doctrinæ Virum, vel hinc apparet, quod Serenissimus Wirtembergiæ Dux Jo. FRIDERICUS eum Filii Principis FRIDERICI constituerit præceptorem. Præsto mihi sunt variæ et ad ipsum scriptæ epistolæ, quas inter nonnullæ THEVENOTI, Bened. TURRETINI, Tobiæ WAGNERI &c. Adest quoque Instructio a Serenissimo Duce JO. FRIDERICO ipsi A. 1627. præscripta, cum Filium Principem FRIDERICUM ejus institutioni et fidei demandaret.

LXXXIX.

LXXXIX.

D. JO. HENRICUS BARTHIUS Theologus Argentorat.

Tuam, Vir Nobilissime, amicitiam jam dudum expetieram animo meo, cum inter literatorum principes fama pridem jam te collocarit; permitte, ut eandem jam verbis quoque mihi parem occasione quadam, quæ forte tibi non ingrata erit. Commoratus est apud nos per anni fere spatium Antiochenus quidam, Carolus DADICHI, in omni scientiarum genere fere literatissimus, qui, postquam in patria apud Orientales studiorum fundamenta posuit, Romæ et Parisiis eadem continuavit. In Arabica et Syriaca lingua, quæ ipsi vernaculæ, Latinis non minus, quam Græcis scriptoribus, quorum utrorumque fere omnes, qui extant, legit et relegit, in Gallica etiam lingua, philosophia Cartesiana, præcipue rerum orientalium Turcarum et ecclesiæ Græcæ, cui addictus est, notitia aliisque studiorum generibus est versatissimus. Id non scriberem, nisi expertus essem, utpote quo familiariter usus sum. Ego reliqui ipsi suam religionem, et in Arabicis, Syriacis atque ecclesiæ Græcæ et Turcicæ notitia multum ipsi debeo. Jam per Germaniam, Bata-

viam et Angliam ad ſuos redibit, a quibus cum multum abſtractus ſit, hactenus informando alios vixit, et quo venit, ob morum ſuavitatem eſt receptus ab aliis, tuam autem in primis amicitiam ambit, cum Francofurti per aliquot dies commorari decreverit, quo propediem abiturus eſt. Utrum autem eandem ſibi promittere poſſit, et ſpes ſit, fore, ut hoſpitium menſamque pro informatione in ſtudiis modo nominatis obtinere poſſit, rogo ea, qua par eſt, obſervantia, ut, ſi fieri poſſit, per primum aut proximum curſorem publicum mihi indices. Ignoſce huic meæ libertati, quam late ſparſa fama de tua humanitate mihi fecerat. Spero, primum hoc amicitiæ et commercii pignus non ingratum fore. Argent. die 4. Martii 1718.



XC.

XC.

D. JO. HENRICO BARTHIO.

Quas D. *PRITIO* noſtro commiſeras, redditæ mihi bene ſunt litteræ. Fuerunt autem acceptiſſimæ, utpote a tanto Viro profectæ, de cujus eruditione, ſinceritate, atque humanitate non modo fama, ſed germana, qui aliquandiu cives in veſtra academia vixerunt, Fratrum meorum fide conſtiterat. Hinc jucundiſſimum mihi fore tibi perſuadeas velim, ſi tam benevole oblatam amicitiam tueri velis. Ego certe dextram, qua hæc ſcribo, tibi ea, qua par eſt, reverentia do, fidemque facio, me illam perpetuo culturum, ac, quantum in me erit, ita geſturum, ne cœptæ illius unquam poſſit pœnitere. Vereor autem, ne in primo, quod a me exigis, officio minus, quam voles, ac egometipſe velim, ſatisfacere queam. Antiochenus, quem mihi commendas, hoſpes ſane foret gratiſſimus, cum ejus in urbem noſtram adventum, cujus ſpem D. Funck, et alii hac tranſeuntes, ac Bibliothecam meam perluſtrantes, fecerunt, ſummo cum deſiderio hactenus exſpectarim. De quo ne dubitare poſſis, ſcias, me una cum MAJO filio in contexendo Mſtorum Bibliothecæ meæ Catalo-

go laborasse. MAJUS meus Codices Orientales, atque Græcos recenset, ego reliquos. Ille autem non tantos in lingua Arabica ac inprimis Turcica progressus se fecisse professus fuit, ut Codices his linguis exaratos, quorum mihi non pauci sunt, aggredi possit. Quid igitur mihi jucundius accidere potuisset, quam quod Virum in his exercitatissimum commendaris? Lubens sane ipsum in domum reciperem, nisi Musæ ita illam occupassent, ut ne Præceptori quidem in liberorum gratiam alendo locus sit. Decem (n) enim Cameræ libris repletæ sunt. De mensa, quod nec ego variis de causis possem, D. PRITIUS prospiciet, ac forte etiam de hospitio. Ipse cum Rectore nostro SCHUDTIO ac aliis in gratiam ejus agam. Etsi etiam nullum habere hospitium, nisi publicum queat, tantum tamen lucrari, opinor, poterit, ut commode aliquandiu subsistere queat. Ipse ego, si in supra dicto negotio operam navare vo-

(n) In præfatione Tomi 1. Bibliothecæ Universalis Uffenbachianæ, A. 1729. mense Septembri scripta, octo conclavia libris repleta se habuisse b. Vir meminit, quod ipse etiam Conspectus Bibliothecæ, æri incisus, comprobat. Conclavia igitur ista illis cameris longe spatiosiora fuisse, hinc apparet.

voluerit, non contemnendo honorario ſubventurus ſum, nec quicquam omittam, quo eum juvare poſſim, ut cum ipſo intelligas, quantum tua apud me valuerit commendatio. Antequam te valere jubeam, permitte quæſo, ut ex te quæram, num homonymus tibi Caſpar BARTHIUS, Eruditorum ſui ſeculi princeps, cognatione tibi, familiæque tuæ, de quo tamen, cum ſtemma, ex quo deſcendit, Saxonicum ſit, dubito, junctus fuerit. Occaſionem quærendi non modo nova, quam cum tanti nominis viro ineo, amicitia dat, ſed opuſculum ipſius Caſpari, quod inter alia nuper nactus ſum manuſcripta. En Titulum: *C. BARTHII Corona animæ converſæ ex Floſculis gratioſæ gratiæ divinæ.* MDCXXVII. Auctoris videtur Autographon, nunquam typis exſcriptum, prelo tamen paratum. Simile eſt Soliloquiis opus, de quo, ſi libuerit, plenius Te edocebo, vel etiam, ſi juſſeris, ſpecimen dabo. d. 15. May. 1718.



XCI.

D. JO. HENRICUS BARTHIUS.

Si, Vir Amplissime, me immemorem, si ingratum, si incivilem me appellaveris, non equidem irascerer, utpote culpæ meæ conscius, veniam tamen deprecarer, quod ad literas tuas amicissimas, superiori jam anno scriptas, nunc demum respondeam. Amicitiam tuam benevolentiamque, quam rogavi, mihi promte concessisti, mihi ipsi succenseo, quod hactenus ea non sim usus. Sed nescio quis laborum cumulus et negligentia in causa est, quod felicitatem hanc non acceptaverim. Gratissimo interea tamen silentio veneratus sum, quod obtulisti. Age, nec immemori hactenus aditum præclude. Grata mente veneror, quod DADICHIUM placidissime susceperis, de quo tamen, quo venerit, nihil hactenus comperi. Nec Lipsiam, quantum quidem ego novi, et ubi etiam ipsi hospitium paravi, venit. Utrum ex eodem cum Caspare BARTHIO genere natus sim, me latet. Parentes mei ex Algoja in Alsatiam venerant. A. 1592. nobilitate donati sunt, sed quam tum demum revocabo, si prius ditiora feuda mihi contingant. Malo mediocri fortuna frui, quam splendida miseria. Quid titulus

lus ſine vitulo ? Pervelim interea plura a te edoceri de ſcripto illo Barthiano nondum edito, cujus mentionem feciſti ſub titulo : *Corona animæ converſæ.* Si illud communicare velis, gratiſſimo id celebrarem animo.

Rogo inſuper, utrum quædam vel typis expreſſa vel manu exarata in refertiſſimo tuæ bibliothecæ theſauro poſſideas de Melchiore HOFFMANNO (o), LUTHE-

(o) Eſt mihi de hoc heteroclito capite ſcriptum, a Martino BUCERO A. MDXXXIII. Argentorati in 4. editum, cujus en tibi titulum : *Handlung in dem offentlichen Geſprech zu Straſsburg jüngſt im Synodo gehalten, gegen Melchior Hoffmann, durch die Prediger daſelbſt, von vier fürnemen Stücken Chriſtlicher Lehre und Haltung, ſampt getreuem dargeben auch der Gründe, darauf Hoffmann ſeine Irthume ſetzet.* In titulo hæc etiam de HOFFMANNO adjecta ſunt : *Dieſer Melchior Hoffmann wird von ſeinen Jüngern für den groſſen Propheten und Apoſtel ausgeſchryen, der ſich vor dem groſſen Tag des Herrn habe in Niderlanden erheben ſollen, und das recht Evangeli erſt in aller Welt ausbringen.* Varia de ipſo, turbisque ab eo in Holſatia excitatis, commemorat b. Jo. Melchior

THERI ſeculo turbatore, et in Sleidano quoque memorato, aut de Nicolao FREGIO, ejusdem ætatis homine, qui primam uxorem, quam a ſe ſumtam crediderat, repudiavit, et, ipſa viva, alteram ſibi junxit, quam a Deo datam jactitavit. Sed ſolenni Bigamorum pœna apud nos aqua ſuffocatus eſt. De utroque proxime forte diſputaturus ſum, cum in eo ſim, ut hiſtoriæ patriæ ſpecimina edam. Animus præterea eſt, hiſtoriam ſcholæ Argentinenſis et Profeſſorum, qui in ea docuerunt, luci publicæ exponere, in memoriam Jubilæi Academiæ Argentinenſis, quod A. 1721. celebrabitur. Si quæ habes, quibus hæc illuſtrari poſſent, publico patriæ bonarumque literarum nomine gratias agerem, tuique etiam nominis, a quo hæc haberem, grata mente meminero. Ignoſce, quod hæc a te petam, quis enim a tanto literarum Muſageta aliquid petere reformidabit, cujus inſerviendi promtitudinem omnis prædicat et admiratur orbis eruditus? Nuper apud nos prodiit typis Dulſekeri BALDI Jeſuitæ doctiſſimi Gallico idiomate judicium patrum eccleſiæ de morali doctrina Gentilium. Venditur etiam

chior Krafftius *in Huſumiſcher 200. jährigen Kirchen-Hiſtorie*, p. 105. ſqq.

etiam Episcopi de Soiſſon Inſtructio paſtoralis contra Appellantes in Gallia, in folio, et aliud ſcriptum itidem contra Appellantes *Traité du Schisme*, 1718. ubi teſtimonia plurima exterorum Epiſcoporum ex Italia, Germania, Hiſpania et Portugalia &c. qui conſtitutionem acceptarunt, afferuntur. Quid interea Gallia paritura ſit, dies docebit. Duo ego inprimis æſtimo veneror que in hac rerum facie, alterum, quod per Teſtamentum hoc Quesnellianum multa millia exemplarium N. T. Galliæ illata ſint et legantur, alterum, quod ab opere operato revocentur, et ad gratiam divinam æſtimandam magis adducantur. Quæ duo ſi radices egerint, non poſſunt non bonos fructus ferre, quos Deus et dies manifeſtabunt. d. X. Apr. MDCCXIX.




XCII.

XCII.

D. JO. HENRICO BARTHIO.

Citius equidem, ſi per varia impedimenta licuiſſet, reſpondiſſem, ne ſcilicet par pari referre velle tibi viderer; aſt, ut nundinales ſtrepitus ac turbas taceam, Catalogi meorum MSS. cujus pars prima jam ſub prælo ſudat, reviſio totum hactenus occupavit. Ab omni igitur vindictæ cupidine liberum non modo judicabis, ſed ob levem moram excuſatum etiam habebis. DADICHIUS abſoluto MStorum meorum Orientalium indice Gieſſam abiit, ex hac vero Academia Halam profectus eſt, ubi ab Orientalium Profeſſore MICHAELE benivole exceptum audio. Amavi ipſum non ſolum ob linguarum peritiam, ſed ſingularem in philoſophicis ac re literaria, quam tam exiguo temporis, quo in noſtris oris verſatur, ſpatio adquiſivit, notitiam, Græcam vero ejus fidem ac genium probare nequeo. Apud me Græcum religione ſe dixit, ſcripſitque, apud Reformatos vero productis etiam teſtimoniis profeſſus eſt, ſe Genevæ ad ipſorum caſtra tranſiiſſe, quod ut confirmaret, ac lauto potiretur viatico, ſacra cum ipſis cœna uſus eſt. Quam Halæ perſonam induerit, neſcio. Scriptum Barthianum com-

complectitur meditationes ſacras, Soliloquiis ab ipſo editis tum pietate tum elegantia plane ſimiles. Specimen data occaſione transmittam; quod ſi probaris, ac publico dare volueris, lubentiſſime concedam. De HOFMANNO ac FREGIO nil, quod te latere, vel juvare poſſit, mea ſubminiſtrat bibliotheca; erunt vero nonnulla, quæ ad illuſtrandam Academiæ veſtræ hiſtoriam facere poterunt, quæ e Catalogo, quem ſuo tempore transmittam, cognoſces, ac facile poſtea impetrabis. Juſtum tuum eſt de Janſeniſtico in Gallia ſchismate judicium. Faxit modo Deus, ut bona, quæ ominaris, eveniant feliciter! d. 3. Jun. A. MDCCXIX.



OBSER-

OBSERVATIO
de
CAROLO DADICHI (p) Antiocheno.

Virum hunc doctum, ac Arabicæ potissimum linguæ peritissimum ita nobis depictum dedit, qui familiariter cum eo versatus fuerat, Vir, dum viveret, Illustris Carolus Stephanus JORDANUS in historia itineris sui literarii, A. 1733. peracti, Gallice scripta p. 147. *Je vis au Caffé (à Londres) de Slaughter Mr. DADICHI: son visage marque qu' il n' est pas Européen. C' est un Philosophe sans Ambition, sans Orgueil, qui ne cherche point à paroitre, qui a de l' Esprit infiniment. Il rend Justice à Mr. la CROZE, et le croit le plus sçavant Homme de l' Europe dans la Connoissance des Langues Orientales. Il regarde Mr. ASSEMAN, comme un Homme, qui n' est versé que dans la Connoissance de la Langue Syriaque, et qui d' ailleurs ne s' est pas appliqué aux autres Sciences, et comme un Homme trop superstitieux. Mr. DADICHI a remarqué, que les Orientaux Papistes sont ordinairement plus superstitieux que les Papistes mêmes. Ce savant Hom-*

(p) In programmate funebri Lakemacheri, mox citando, nominatur Carolus Rali Dadichi.

Homme possede à fond la Langue Arabe. Il est surpris que Sanchoniaton ne fasse point mention du Déluge ; et, suivant cet habile Homme, c' est une haute Folie de vouloir l' accorder avec Moïse. Argentorati præter BARTHIUM fida ejus institutione in Arabicæ linguæ studio feliciter usus est philologus præclari nominis, JO. HENRICUS LEDERLINUS, de quo in ejus Memoria hæc prodidit D. Jo. Andreas GNILIUS. *Dum A. 1717. per octo menses hospitio et mensa exceperat juvenem in variis, præprimis Arabica, linguis versatissimum, Dn. CAROLUM DADICHI, patria Antiochenum, religione Christianum, secta Græcum, haud erubuit hujus erudita institutione in addiscenda Arabum lingua uti, et ita feliciter usus est, ut non tantum sub juvenis auspiciis integrum Alcoranum in linguam Latinam transferret, simul omnibus vocabulis Arabicis cum eorundem versione Latina et Grammatica analysi excerptis ; sed et ipse postea Latinitate donaret MS. quem Bibliotheca nostra servat, Codicem Arabicum, quatuor religionis Eslam fundamenta exponentem, cujus autor est AHMADES, filius Mohammadis, filii Saidi Gaznaviensis.* vid. Act. historico- ecclesf. Vinariensf. Vol. III. p. 96. sq. Anno 1718. Francofurti ad Mœnum commoratus, Orientalium Codicum MSStorum Bibliothecæ Vffenbachianæ Indicem struxit, qui impressus extat in Catalogi illius parte tertia, f. 695. sqq. A. 1719. eandem Bibliothecæ Senatoriæ Lipsiensi operam præsti-

tit, teste Jo. Christiano CLODIO, in Thesauri Epistolici La Croziani Tomo I. p. 80. Inde abiit in Academiam Halensem, ubi præter alios in linguæ Arabicæ studio discipulum habuit Jo. Gothofredum LACKEMACHERUM, qui cupiditate perficiendi, illo duce, quam institutione Salomonis Negri jam consequi cœperat, ejus linguæ notitiam stimulatus, Helmstadio Halam A. 1719. remeavit, ibidemque per sex circiter menses cum ipso familiariter vixit (q). Ante annum 1722. diversatus Basileæ, Jacobi ARTHEMII nomen, quibus de caussis ignoro, assumsit, uti refert Jo. BUXTORFIUS in Dissertatiuncula de Alcorani editione Arabica variisque ejusdem versionibus, Bibliothecæ hist. philol. theol. Bremens. Classi VI. inserta, p. 277. Berolini eodem circiter tempore amicitiam sibi conciliavit viri in literis orientalibus summi, Mathurini Veissier LA CROZE, luculenter id testantibus DADICHII literis, Londino A. 1730. ad illum exaratis, ac obviis in *JORDANI Histoire de la Vie et des Ouvrages de Mr. LA CROZE*, p. 192. sqq. in quibus de itineribus ab se in Italiam, Hispaniam, Galliam, Belgium et

(q) vid. Programma ejus funebre, Tomo II. Actorum historico-ecclesiasticorum Vinariensium insertum, p. 100.

et Angliam ſuſceptis exponit. Dignum memoratu eſt, hac præcipue cauſa illum in Hiſpaniam profectum eſſe, ut ſollicite indagaret, num in Bibliotheca Scoriacenſi *(de l' Eſcurial)* Arabica Titi Livii integri verſio (r) quod Abrahamus Echellenſis venditavit, aſſervetur. Dabimus ipſa ejus verba lectu haud injucunda: *J' avois toujours ſouhaité de faire le Voyage d' Eſpagne, non ſeulement pour voir un Pays que le commun des Voyageurs ne ſe ſoucient guères de voir, mais encore pour ſavoir par moimême, s' il étoit bien vrai qu' une Traduction Arabe d' un Tite-Live complet, ſe trouvoit dans la Bibliotheque de l' Eſcurial. Car c' eſt ce qu' aſſure Abraham Echellenſis dans une Epitre Dèdicatoire au Chancelier Seguier, ſi je ne me trompe. Mais je puis vous aſſurer, qu' après une recherche exacte pendant huit jours, que je demeurai à l' Eſcurial, non-ſeulement je n' ay point trouvé cette prétendue Traduction, mais même pas une, de quelque autre Auteur Latin que ce ſoit; quoiqu' il y ait un prodigieux nombre de Manuſcrits Arabes, qui ſont à tas et à piles, dans le Galetas de cette Bibliothèque, couverts de pouſſiere et d' arai-*

(r) conf. quæ de Livio Arabico habet b. D. Jo. Alb. FABRICIUS in Bibliotheca Latina, Vol. I. p. 196. ſq. ac Bernhardus MONETARIUS (*Mr. de la Monnoye*) in Epiſtola de libro de tribus Impoſtoribus, Tom. IV. Menagianorum. p. 297.

gnées, et abandonnés à la merci des vers, comme s' ils étoient des livres pleins de magie. Il est vrai qu' un Moine de ce Couvent m' assura que le feu s' etant mis à leur Bibliothèque, il y a cinquante ans, une plus grande quantité de Manuscrits Arabes que celle qui reste en fut consummée, et que la prétendue Traduction de Tite-Live fut envelopée dans ce malheur. Mais je me persuade à présent, que tout ce qui regarde cette Traduction n' est qu' un conte fait à plaisir, parce que j' ai bien des raisons de croire, que les Arabes ne se sont jamais appliqués à la Langue Latine, comme ils ont fait à la Grecque, que par conséquent ils ne l' ont jamais entendue, bien loin d' en avoir traduit aucun Auteur. Je ne vous dis point quelles sont ces raisons, parce que cela me meneroit trop loin, et que je ne doute nullement, que vous ne les sachiez mieux que moi. C' est pourqoi je reprends mon voyage. Ita scilicet factum est, ut, cum olim Gaditanus quidam ad ipsum Livium visendum, ejus nomine gloriaque excitatus, teste Plinio, Romam ab ultimo terrarum orbe venerit, statimque, ut viderat, abierit, nunc homo Syrus ab oris longe remotis molesto itinere Gaditanum portum, atque hinc Cœnobium Scoriacense, Arabicæ saltem illius translationis lustrandæ causa, irrito successu, peteret. Tandem vero DADICHIUS, terris varie jactatus et alto, paratum rebus suis portum invenit in Anglia, alma illa Musarum receptrice, suffectus, favore Ducis Richemontii, Salomoni

NE-

NEGRI, Damaſceno, regio linguarum orientalium interpreti, ac Londini anno 1734. morte abſumtus. Obiter moneo de Salomone NEGRI, ejus in ſparta illa deceſſore, varia notabilia haberi in Anton. Wilh. *Böhmens Erbaulichen Briefen.* p. 419. ſqq. 428. ſq. *Berlin. Freywilligen Heb-Opfern.* Tom. I. p. 147. ſqq. et in Mich. Lilienthalii *Preuſſiſchen Zehenden*, Tom. I, p. 365. ſqq.

XCIII.

PETRO FRIDERICO ARPE JCto Kilonienſi.

Cum meus in rem litterariam ac librariam amor Te, ut exiſtimo, non equidem lateat, mirum tibi videri haud poterit, quod hiſce te compellem. Ex ſcriptis enim tuis elegantiſſimis, quæ maxima cum voluptate legere atque relegere ſoleo, ſimile prorſus ſtudium tuum abunde perſpexi. Quare cum iisdem una mecum deliciis te oblectari animadvertam, experientia autem didicerim, in comparandis, ornandis, atque augendis cimeliis litterariis, nil magis proficuum eſſe, quam ſuaviſſimum cum viris doctis horumque ſtudioſis commer-

cium, tuam quoque, Vir Celeb. amicitiam, quod jam dudum in animo fuit, ambiendam duxi. Hanc vero pro ſingulari humanitate tua non denegabis; ego autem fidem tibi facio ſinceram, me eandem ita culturum, ut contractæ mecum amicitiæ nunquam pœniteat. Nullum erit officii genus, quo benivolentiam tuam conciliare atque ſervare non ſatagam. De quo ne dubites, en rariorum nonnullorum, tum manu, tum typis exſcriptorum librorum meorum indicem, e quibus, quæ modo arrident, tibi ſeliges. Omnes cum cæteris univerſis, quæ libraria mea qualiscunque ſupellex ſuppeditare poterit, tuis uſibus omnino patebunt, ſi modo tuorum, quod minime detrectabis, copiam viciſſim concedere volueris. Nullus ſane dubito, quin honeſtam hanc permutationem ſis ratihabiturus, cum probe mecum agnoſcas, liberali ejusmodi commercio reciproco facilius ſcripta rariora comparari poſſe, quam ære, etſi Crœſi divitias impendere atque profundere velimus. Libri ſane rariores fruſtra in officinis quæruntur, ac nonniſi forte fortuna in doctorum virorum, qui haud ignorant, quid diſtent æra lupinis, inprimis manus incidunt, et ab his copiæ petendæ, quæ aliunde ſperare non licet. Nunquam ſane qualemcunque adparatum illum, quo gaudeo, adornare valuiſſem, niſi hoc præprimis conſilio ac

mutuo

mutuo amicorum adjumento fuissem usus. Neque tu aliter senties, parique una mecum horrore abominaberis Bibliotaphos illos, qui sibi solis sapere, ac quæ fortuna indignis ipsorum manibus offert, sibi vel blattis potius ac tineis in escam servare malunt, e cœtu eorum, qui humaniora studia tractant, plane eliminandi. Hac fiducia fretus, eo usque audaciæ progredior, ut te statim rogem, velis sequentium, quæ in jucundissimis Feriis tuis æstivalibus inter alia, quibus tua superbit Bibliotheca, animadverti, copiam concedere. Pagina nimirum 124. mentionem facis libelli istius famosi Godofr. VALLÆ, quem Artem nihil credendi seu *beatitude des Chrêtiens* inscripsit; pag. vero 127. duplicem STOSSI apologiam memoras. Hanc vero temeritatem meam vitio minime vertes, nec repulsam, confido, dabis. Ego vero, quæcunque ex meis jusseris, me tibi concessurum sancte spondeo. Cum vero me non fugiat, quam facilis talium scriptorum abusus sit, rogandus es, ne, quod me attinet, ullum ejus metum capias, quemadmodum nulla mihi in te sinistra erit unquam suspicio. Probe enim novi, heterodoxa talia in ornatum Bibliothecæ solum servanda, ac nonnisi prudentioribus, et a quibus nullus plane abusus metuendus, concedenda esse. Pluribus tibi molestus hac vice haud forem, nisi amici

cujusdam narratio aliquam adhuc quæstionem, pace, ut spero, tua, tibi proponendam suggereret. Is nimirum persuadere mihi voluit, latere in quadam Ducum Holsatiæ Bibliotheca integrum de Tribus Impostoribus opus famosissimum, e quo compendium desumtum sit illud de impostura religionum, quod Vir Cl. MAYERUS possedit, quodve Illustr. Princeps Sabaudiæ EUGENIUS magno satis pretio redemit. Hujus ipse quoque, ut in schedula notatum videbis, apographum teneo. Etsi igitur, quod MAYERUS ac alii persuasum sibi habuerunt, ac aliis etiam inepte voluerunt, minime credam, opus hoc esse librum illum famosissimum de Tribus Impostoribus, sed Cl. Viri *de la MONNOYE* sententiæ subscribam, talem librum, qui scil. Friderici II. Imp. tempore conscriptus, ac statim post artis typographicæ inventæ primordia typis etiam exscriptus sit, merum figmentum esse (s) adductis

(s) Ego in eadem me cum b. VFFENBACHIO meo hæresi versari ingenue fateor. Quæ ab aliis de libro hoc famosissimo dicta sunt, diligenter collegit, et concinne digessit literatissimus Vir W. V. sub quibus literis Clar. Woldebrandum VOGTIUM, Rev. Pastorem Templi Ca-

ctis ab eo in dissertatione, quam Menagianis subjunxit, rationibus firmissimis, rem

---

Cathedralis Bremensis, latitare arbitror, in singulari de hoc argumento dissertatione, cui eximium spicilegium adjecit Summe Venerabilis Ecclesiarum et Scholarum in Ducatibus Bremensi ac Verdensi Superintendens Generalis, D. Jo. Henricus PRATJE. vid. *Brem-und Verdisches freywilliges Heb-Opfer*, Tom. I. p. 869. sqq. et p. 911. sqq. Unicum mihi liceat addere testimonium Viri non incelebris, nostris autem iniquissimi, Wilhelmi Damasi LINDANI, Episcopi quondam Ruræmondensis, cui, si credere fas foret, reapse aliquando librum hujus furfuris abominabilem sæculo XVI. typis fuisse exscriptum, dubitandum non esset. Ita autem ille in Christomachia Calvinistica, Coloniæ A. 1584. in 8. edita, p. 161. sq. *Non desunt, hoc infelicissimo tempore, qui omnem superantes non modo impudentiæ, sed et blasphemiæ modum audent scribere contra tres impostores, Moysen, Mahumetum, et quem mihi religio est hoc loco præ blasphemiæ horrore (quia contremisco referens) nominare. Hæc si non est Sathanica in Deum et Christum ejus blasphemia, nescio quid sit blasphemia, a qua Dominus Deus totum tandem repurget orbem. Impii scripti*

tamen faceres gratissimam, si me edocere velles, num de hoc opere, in Bibliotheca Holsatica existente, quidpiam cognoveris. Ut vero impudentiæ meæ, quod primis, quas ad te exaro, litteris tantum negotii tibi facessam, condones, etiam atque etiam rogo, die 29. Junii 1728.

XCIV.

---

scripti exemplaria ex Francfordia evocavi. Nihil autem aliud retuli responsi: nullum illic existere amplius, quod universa essent in Galliam avecta, ubi ejus lectione nobiles feruntur mirifice oblectari. Si Postellano illi auditorio, illi potissimum Veneto, non probantur, equidem satis demirari non possum: cum istius atheismi præludia, et tam bellas ante annos fere novem in Veneto Arsenali jecerit isagogas, ex professo Christomachas, et verissimo Luciano dignas. Ex quo venenato ovo jam pridem Genevæ ab aliquot Italis philosophis posito (sicut videre est apud Bezam in vita mendacissima sui Calvini) quid toti orbi expectandum, ni Deus averterit propitius, divinatu non est piis difficile. Facile, hæc in Reformatorum odium vel a LINDANO, ipsis infensissimo, vel ab aliis efficta esse, videmus.

XCIV.

PETRUS FRIDERICUS ARPE.

Ex itinere Holſatico reduci, literæ Tuæ humaniſſimæ mihi redditæ ſunt; quæ inſignis amoris et benevolentiæ erga me maximæ teſtes, jucundiſſima animum impleverunt voluptate. Quis enim ignorat illuſtris nominis Tui decus, avitam nobilitatem, heroico animi cultu ſplendidiorem, virtutem ſingularem, ſumma in Rempublicam merita, et, ut paucis complectar, Te in ſæculi noſtri decus et literarum emolumentum factum natumque videri? Tanti ingenii dotes tacitus hactenus venerabar, dum occurris modeſte hæſitanti, et, cui voto teneor, eo damnas, antequam profari neceſſe ſit. Te igitur duce Heſperios ſubeo hortos, et theſauros, animis medicinam allaturos, inſpicio, cujus lenitatis ne Te unquam pœniteat, curæ mihi erit. Luſtrabam hactenus indices exquiſitiſſimæ bibliothecæ Tuæ, quos publico uſui conſecraſti, indigne ferens, quum pleraſque partes cultæ Europæ percurrerim, mihi non contigiſſe, operta adyta adire, unde haurire licuerit, quæ fruſtra in principum gazophylaciis noſtra quærit diligentia. Mirabar opes, numerum, conditionem, cultum, conjiciebam,

Te

Te animo consilioque ad optima quæque esse paratum, cujus conjecturæ veritatem dum literis melle dulcioribus confirmas, et amica mente, conjunctius ut porro tecum agam, concedis, lubentissimo conditionem accipio animo, et partes meas quocunque officiorum genere ut impleam, si deerunt vires, non deerit animus. Quæ præterea de literarum et eruditorum fatis prudentissime monuisti, sagacis mentis confirmo oracula; non omnes omnia posse, nisi communi ope et auxilio, studii literarii amplificandi docet experientia, dum sæpe in angulo latent, quæ curiosam sitim movere possint. Quo animo dum humiles meos attingis lares, et parvam supellectilem excutis, quam curiosa convasavit juventus, singula ex voluntate Tua pendent, modo aliquid obveniat, quod studio Tuo non indignum videatur. Ferias meas æstivo tempore conscripsi ante biennium, quum me vitæ Academicæ satietas cepisset, et Musis et patriæ valedicens, consignavi opusculum, ut aliquid egisse videremur. Cujus laboris fructum jam percipio uberrimum, dum Tibi placuit, ut egregium est probari probato viro. Quæ exinde ut transmitterem, Vir Magnifice, postulasti, en adsunt, præcursores reliquorum, si verbulo indicare dignaberis, nec mora ulla fuisset, nisi epistola vestræ Dignitatis Kilonium esset delata,

ta,

ta, et ſic ad manus meas demum perveniſſet, cui civitas Hamburgenſis liberale præbet hoſpitium, in quo Muſis ſeverioribus aliquot horas ſubtrahere ſoleo, quando plurimum temporis operoſis impendere et moleſtis negotiis neceſſum eſt. Amici relatum, de Principis Holſatiæ bibliotheca, quæ librum *de tribus Impoſtoribus* contineat, dulce eſt ſomnium. Apud nos, invitus fateor, frigent Muſæ, et vix ullum manſuetioribus literis eſt pretium. Per tot luſtra nos publica premit calamitas, et rerum viciſſitudines, quæ bellum ſecum trahit, ſtudia altius emergere haud ſinunt. Librum illum nefandum unquam typis exſcriptum fuiſſe, perſuaderi mihi haud patior, et facile accedo Dno *de la MONNOYE*, quem, Vir Excellentiſſime, citas, quicquid alii ferant. Schedæ, in MAYERI librorum adparatu repertæ, teſtes haud ſunt omni exceptione majores, de quibus vir fide digniſſimus retulit, nuperum eſſe ingenii fœtum, cujus autor adhuc inter nos in vivis degit, et ſpecimen meditationum in Hiobi caput XX. ſub nomine R. Mareſcotti edidit. Ipſe J. U. D. a MAYERO de tribus Tabernaculis diſſerente, epiſtola ad opponendum provocatus, præcipue de hoc libro., quem avum habuiſſe fama erat, virum tum in civitate præpotentem, naſo adunco ſuſpendit, et quicquid nugarum eſt, ingenio ad ſatyram proclivi compilavit. Nomen

men adderem, nisi, quod invitus ipsi nullam non invidiam movere possim, timerem. Argumento est, libellum duntaxat apud theologum istum fuisse inventum, ex cujus scriniis, quæ jam feruntur, examinis instar evolarint exempla. Concesserat PALTHENIO amico, is Christiano WORMIO, Episcopo Sialandiæ, cujus beneficio ad me pervenit, ut epistola operi præfixa testatur. Gallici MS. infausta Lucina editi mihi quoque exemplum est, et quæ sunt hujus farinæ bellaria, potius ad movendam sitim, quam magnum, quem præstant, usum apta, cæterum suis in repagulis servanda.

Nec cibus iste juvat morsu fraudatus aceti ;
Nec grata est facies, cui Gelasinus abest.

Constitueram, indicem mittere næniarum minus forte obviarum, nisi temporis præcluderet angustia, vestraque me abuti patientia censerem, qui tam longa fastidiosaque epistola vos compellare ausim, gravioribus rebus occupatos. Copiam librorum rariorum in vestro thesauro mirarer, nisi ex omni parte ipsius emineret præstantia. *Non possumus*, inquit Seneca, *licet tentemus, educere aliquid ex tanta rerum æqualium multitudine.* Pauperis est numerare pecus. Quocunque miseris oculum, id tibi occurrit, quod eminere posset, nisi inter paria inveniretur. Si de

de libris tanto candore indicatis, libere confabulari licet, nihil miror, me invenisse de J. C. VANINO, decantato philosopho, cujus, ut nosti, aliquando Apologiam scripsi. Ipsam secundis curis prælo reddere paro, modo advenerint acta Tholosana integra, quorum copiam viri præstantissimi ut mihi facerent, in se susceperunt. Quæ in curiæ cancellis notata de eo invenerunt, teneo; reliqua Dn. Massieu patronus causarum jussu regio primus in illa metropoli superstitionum ex latebris insigni studio eruit, et concessit. Sed adhuc mea messis in herba est, et, ut transmittantur, exspecto. *Cymbalum mundi* in vestro thesauro an idem sit, quod Gallica lingua P. MARCHAND edidit, scire vellem; nec non quid contineant BEVERLANDI Otia Oxoniensia. Em. SONNERI demonstratio contra pœnas æternas jam non infimi momenti est, dum M. Ludovicus GERHARDI tanta hic invidia argumentum illud movet; libri ipsius auctoritate publica sublati, ipsi indictum exilium, nimio, ut videtur, rigore. Quodsi commentarios more recepto ad rogum damnassent, locum invenisset in Bibliotheca Vulcani, quam ex amicis in Gallia quidam magno studio molitur, in quem Dn. *de la MONNOYE* non ineleganter:

Quam vereor famosa virum dum scripta recenses,
Quæ rapido absumsit publicus igne rogus;

Ne

Ne tua Vulcano libros complexa dicatos
Exitio pereat bibliotheca pari.

De hujusmodi commentario cogitabat olim Rev. Abbas de MOSHEIM, qui nuper de fatis Serveti dissertationem sub Alvoerdenii nomine edidit, politius limandam. Inter scripta sotadica pessimus liber nuper Lutetiæ prodiit sub titulo: *Histoire du Prince Apprius* (Priapus) *a Constantinople* 1728. 12. impurarum nequitiarum compendium virulentum, ad quod erubesceret Venus ignara pudoris. Clavem, ad historiam Pomponii ex Gallia transmissam, exhibere, si libet, potero. Ex Anglia nuper cohortem accepi Paradoxorum, quibus abundat felicissima insularum libertatis favore conspicua, inter quos TOLANDI Miscellanea nuper edita volum. 2. Jonathæ SWIFTS vol. 3. GEDDES vol. 3. Thom. BROUN. BAXTERI Glossarium, SPENCER de prodigiis, TOLANDI Amyntor, Pantheisticon &c. &c. BRUNI *Spaccio della bestia trionfante* nuper ex bibliotheca Cantabrigiensi Italica lingua accepi. POMPONATIUS de immortalitate animæ in operibus non comparet, nec FLUDDII apologia pro fratribus Roseæ crucis Lugd. Batav. 1617. 8. nec in omnibus codicibus Clavis philosophiæ et alchymiæ Fluddanæ Frf. 1633. in folio, nec crebro occurrit David JORIS Apologia ab ipso 1540. ad Annam

nam comitem Oldenburg. missa. AGRIPPA nuper Gallice prodiit. Sed quorsum? vides, quam prolixo affectu, ut Tibi satisfaciam, curo, qui et limites modestiæ transgredi non vereor, dummodo constet, me ex Tua voluntate et ore pendere. Hamburgi, d. XIII. Jul. MDCCXXVIII.

XCV.

PETRO FRIDERICO ARPE.

Quanta voluptate curiosum plane volumen, quod tanta facilitate concessisti, animum meum perfuderit, verbis declarare vix valeo, malo etiam re potius ipsa ac factis gratam Tibique devotam mentem comprobare, ac insignem, quo me complecti cœpisti, favorem demereri. Optassem igitur, ut ex transmisso librorum meorum indice indicasses, quorum copiam habere aveas, quod ut proxime facias, ac quibus alias egregia studia Tua juvare possim, significes, etiam atque etiam rogo. Interim sedulo curabo, ut volumen, quod meæ fidei credidisti, sartum tectum, quam primum fieri poterit, ad Te redeat. Quod fabulam de libro de tribus Impostoribus ab amico mihi, de ejus veri-

tate ſtatim dubitanti, narratam refutare, ac alia nonnulla notabilia addere volueris, gratias ago, majores vero habiturus, ſi Mayeriani MSti auctorem, ſub ſilentii fide, nominare volueris. Dn. BALTHASAR Prof. Gryphiswaldenſis certiorem me reddiderat, Profeſſorem quendam Roſtochienſem exemplum ſcripti illius auctoris poſſidere. Rogabam, ut ſupplementum iſtud procuraret; negabat autem ſe illud obtinere poſſe, imo ne nomen quidem poſſeſſoris indicare volebat, quod ex metu invidiæ factum eſſe, exiſtimo. Quum vero ex iis, quæ memoras, PALTHENIUM illum eſſe, e cujus exemplo copia quoque Tua provenit, conjiciam, rem gratiſſimam facies, ſi quæ erunt in MSto Tuo augmenta, mihi deſcribenda curares. Quod ut præſtare poſſis, initium ac finem MSti mei ſubnectam. Aliud adhuc eſt, quod abs Te contendam, ut ſcilicet non modo ſpecimen illud meditationum in Jobum ſub MARESCOTI (t) nomine vulgatum, ſed et GER-

(t) Sub MARESCOTI nomine latitare Jo. Joach. MULLERUM, JCtum Hamburgenſem, ex Ad. Henr. LACKMANNI Miſcellaneis literariis p. 22. didici. Nomen illud per anagramma derivatum eſt a loco *Otmarſche*, ubi hortus Mulleri ſitus erat.

GERHARDI de pœnis æternis ſcriptum comparare velis. Sumtus non modo lubens reſtituam, ſed beneficium hoc quovis officiorum genere compenſare ſtudebo. J. C. VANINI opuſcula in nupero indiculo per oblivionem cum aliis, quæ memoria feſtinanti non ſuggeſſit, omiſeram. Non modo enim Amphitheatrum, ſed rariores etiam ipſius Dialogi in mea bibliotheca habentur. Lubens antem intellexi, Te novam et multo auctiorem elegantiſſimæ apologiæ Tuæ editionem meditari, quam maximo cum deſiderio exſpectabo, ac, ut eandem quantocyus in lucem proferre valeas, ex animo voveo. Intereſt ſane Reipublicæ Literariæ quam maxime, ut triſtia ſimilium virorum fata dilucidius explicentur, eorumque nomina a maculis ac figmentis, quibus nimio ſæpe pro religione fervore obfuſcantur, liberentur. Egregia plane dexteritate jamjam demonſtraſti (u), miſerum VANINUM

 tenta-

erat. conf. Cl. Jo. Chriſtoph. MYLII Bibliothecam Pſeudonymorum, p. 112.

(u) B. BUDDEUS, idoneus harum rerum judex, in Theſibus de Atheismo et Superſtitione p. 122. ARPIUM tam erudite, tamque ingenioſe hac in re verſatum eſſe cenſet, ut peſſima etiam cauſa nunquam

tantarum impietatum, quarum multi illum postulare solent, minime reum esse, ac majori, quam par erat, immanitate in eundem sævitum fuisse; id quod altera, quam præ doctis manibus habes, Apologiæ Tuæ editione ex ipsis cum martyre hoc, ut ita dicam, philosophico actis, clarius atque firmius procul dubio evinces. Felix sane post fata æstumandus est VANINUS Tuus, quod tam bonum atque eximium prorsus defensorem nactus fuerit. Plures sunt, quibus eadem felicitas merito optanda. Quod ut evenire possit, eo major spes affulget, quod Historia Ecclesiastica atque literaria hoc nostro sæculo majori studio atque candore excolatur, quam superioribus temporibus, quibus aurea sentiendi libertas, qua nunc fruimur, nondum viguit; sed lividus in omnes dissentientes et a tritis ac receptis opinionibus vel tantillum abeuntes furor ac hæretificandi (liceat barbaro hoc vocabulo immanem illam barbariem describere) studium obtinebat: Nunc vero cum singulari Dei beneficio studia solidius hoc nostro ævo excolantur, majorique cum libertate tractentur, ac liberrime in veritatem inquirere liceat, recte mea quidem sententia

---

quam meliorem habuisse defensorem jure dici queat.

tentia faciunt, qui ſcripta rariora ac alia omnia, quæ ad innocentiam atro nimis carbone notatorum hominum demonſtrandam, vel certe ad aliquam eorundem exculpationem facere poſſunt, cum cura colligunt. Id mearum quoque partium eſſe ſemper duxi. Spem fecerat V. C. JÆNICHIUS, Gymnaſii Thorunienſis Rector, ſe Acta cum famoſo illo Polono, Caſimiro LINCYNSKIO, ſeu, ut alii nomen ſcribunt, Liszynskio procuraturum. Aſt, quod maximè doleo, triſtiſſimæ illæ Thorunii actæ tragœdiæ ſpem iſtam adeo ſufflaminarunt, ut nullum plane ab iſto tempore reſponſum a viro alias humaniſſimo receperim.

Cymbalum illud meum MStum, de quo quæris, a Gallico, quod P. MARCHAND vulgavit, plane differt, eſtque argumenti magis impii, receptaque religionis dog mata ſerio impugnat, quum Gallicus ille libellus non niſi ſcommatibus abſolvitur. Dolendum autem, mancum illud in fine eſſe MStum. Hadriani BEVERLANDI Otia Philologica, Critica, et ad antiquitates ſpectantia complectuntur, variis tamen in locis ſalax auctor ingenium ſuum prodit. Certiorem me nuper fecit nobilis quidam Saxonicus, ſe plurima BEVERLANDI anecdota adepturum, quorum indicem dedit, ſimulque eorundem copi-

am pollicitus eſt. Si videre aves, illum ipſum transmittam, et quam primum aliquid horum MStorum recepero, pleniorem eorundem notitiam dabo. Haud ita pridem Baſilea a Cel. ISELIO accepi elenchum librorum manu exaratorum POSTELLI, quorum multi in Bibliotheca Baſileenſi extant, quem itidem, ſi deſideres, lubens tecum communicabo. De libris rarioribus, quos ex Anglia nactus es, Tibi gratulor, utque fortuna illa, quam ego librariam ſalutare ſoleo, porro Tibi faveat, ex animo opto. Clavem ad Pomponii hiſtoriam, quem benivole offers, et, ſi quidem pace Tua id fieri poterit, Jordani BRUNI librum, quem SPACCIO inſcripſit, lingua Italica, quem ego non niſi Anglica, qua ipſum TOLANDUS donaſſe dicitur, poſſideo, ſuo tempore expetam, remiſſo ſcilicet, quod jam Tua benignitate teneo, volumine. Indecorum enim eſſet, Te pluribus cimeliis una vice orbare. Ni grave foret, Te, vir Humaniſſime, rogarem, ut ſaltim per diligentem ac fidum amanuenſem illorum copiam fieri juberes. Ut enim mentem meam ingenue Tibi explicem, periculoſa ac omnino noxia res mihi videtur librorum rariorum transmiſſio, quum libri per eam facile detrimentum capere, vel etiam perire poſſint. Sumtus ſcriptori erogandos vel lubens reſtituturus, vel meorum, quæ juſ-

ſeris,

ſeris, apographis compenſaturus eſſem. Utcunque tamen Tibi videbitur, ſtatues agesve. d. 2. Aug. A. MDCCXXVIII.

DUPLEX ELENCHUS
librorum MStorum Guil. POSTELLI, qui partim olim Baſileæ aſſervati fuerunt, partim hodienum in inclytæ illius Academiæ Bibliotheca extant.

Habemus equidem jam aliquot copioſos famoſiſſimi ac portentoſi Viri Guil. POSTELLI librorum Indices,in Bibliotheca ſcilicet Geſnero-Simleriana, Tiguri A. 1574. edita, f. 261.ſqq. in Obſervationum Halenſium Tomo IV. p. 262. ſqq. ac in variis b. Thomæ ITTIGII Opuſculis,quæ cura L. Chriſtiani LUDOVICI Lipſiæ A. 1714. in 8. junctim prodierunt, p. 251. ſqq. et 262. ſqq. Non tamen injucundum fore lectoribus meis arbitror, duplicem, quem heic exhibemus, eorum luſtrare ſyllabum, a Cel. ISELIO, Academiæ quondam Baſileenſis lumine, cum b. VFFENBACHIO meo amice communicatum.Subinde enim differunt hi Indices a reliquis, et quædam continent, in illis prætermiſſa. Nec ingratum inſuper bibliophilis erit, noſſe, ubinam vel extent, vel for-

taſſis adhuc indagari queant libri hi, quorum aliqui vero jam ſunt typis exſcripti. En ergo tibi primum Indicem, cui hunc titulum præfixit ISELIUS, Vir, dum viveret, ſummus.

Index librorum POSTELLI extantium in Bibliotheca Academica Baſileenſi, ipſius manu, ut videtur, exaratorum.

Oporino ſuo C. P. R.

1.

Zoar ſuper Geneſeos librum, a Poſtello inchoatum per folia 60. Sequuntur brevia Excerpta ex Poſtelli Gloſſis, auctore Conr. Pellicano, unius pag.

2.

Ex Guil. Poſtelli Gloſſis per Conradum Pellicanum excerptæ ex Zoar ſuper Geneſeos librum per folia 60. M S. 4. Incipit ab initio Geneſeos, uſque ad Capitis tertii verſum primum incluſive: Et ſerpens erat aſtutior omnibus animalibus terræ.

3.

Gulielmo Poſtello Apoſtolica profeſſione Viro interprete, Chavæ ſeu Evæ Matris omnium viventium admirabiles, et ſuper omnes doctrinas mundi, ſecundum Evangelicam veteris et novi Teſtam. veritatem amplectendæ Prophetiæ, olim in Adami cerebro conſcriptæ a Raziele, Adami primi parentis Angelo, et nunc primum in

in lucem ex linguæ Sanctæ penetralibus apud Latinos editæ, ex libro Behir, id est, lucis purissimæ. Præfixa est apologia ad Christi veros alumnos, ut ratio tanti exponatur mysterii, quoque modo hac revelatione duce clarissime perinde de futuris singuli cognoscent, sicut de præteritis, duce Historia, hactenus cognoscimus.

4.

BEHIR, id est, lucis purissimæ libri, inter Secretioris doctrinæ auditorum Mosis interpretes summa auctoritate constantis interpretatio, qua duce ad universa, etiam reconditissima scripturæ mysteria summa facilitate pervenire liceat.

5.

Divinæ dispositionis explicatio ex libro Baraffchim, id est Elementorum et radicum ad ponendam confirmandamque primam Divinorum sensuum veritatem.

6.

Ex libro, cui titulus est Asochilecha, hoc est, instituam te, et est ex Maarecheth Elohuth, Commentarius in Decem Sefiroth.

7.

Gulielmi Postelli, hujus cognitionis instauratoris, Paradisi terrestris locus cosmographicæ Scientiæ beneficio inventus, et nunc primum orbi patefactus, cum iis, quæ ex ejus situ dependent, plane revera admirandis.

8.

Gulielmi Postelli Midrafs, sive interpretatio Secretior Samuelis, sive libri 1. Regum: ubi perfectissimo et finali sensu tractatur ex innumeris propositionibus, quæ tam in lege scripta, quam in interpretatoria sunt aliquo modo delibatæ, de secundo Christi in Matrem mundi et in ejus primogenitum adventu, ut ponatur hic in caput anguli.

9.

Guil. Postelli *le Catechisme et introduction de la verité Chrestiene par raison naturelle de la grace de Jesu Christ illuminée tellement demonstrée, qu'elle destruise toute faulseté et contraigne tout le genre humain de l'abbraccer.*

Item. Interrogata Præceptoris proposita Discipulo, ad erudiendos pueros et ignorantes in Doctrina Christiana et Via Domini Dei. Florentiæ, juxta Archiepiscopale 1568.

10.

Guil. Postelli restitutionis omnium primogeniti, a J. Calvino hac in causa maligne perstricti, auctoris apologia pro Serveto Villanovano, de anima Mundi, sive de ea natura, quæ omnino necessaria est, et habenda est media inter æternam immobilemque, et creatam mobilemque, estque consubstantialiter in ipso Christo, sicuti est, etiam habenda, contra aspergines, et præcipitatum Calvini in hanc causam

ſam judicium. Sive ut Titulus ſit clarior: De Dei et naturæ, vel de animi et animæ mundi, ſeu de divinæ naturæ et inſeparabilium ab ea virtutum ejus ſummo conatu et effectu.

Alteri ſyllabo hanc præmiſit Vir laudatus epigraphen.

Libri infra notati hoc tempore non ſunt ad manum: ſed quum auctor Indicis ante hoſce annos centum Profeſſor Baſileenſis fuerit, ſpes eſt, aliquos ex iis, vel pleroſque adhuc Baſileæ reperiri poſſe.

A. *Guilielmi Poſtelli* Barentonii, Dolekienſis, ſeu Dolegenſis, confirmatio Doctrinæ Evangelicæ, et Rationale Coactoriumque, ſive noviſſimum Teſtamentum ipſius Jeſu. In quo Doctrinæ Evangelicæ, atque totius Novi Teſtamenti origo patet, et futuræ nunc in genere humano felicitatis clariſſima ponitur deſcriptio, et ex Commentariis R. Racanati confirmatio. Explicantur in hoc manuſcripto ſex priora capita Geneſeos ab initio, uſque ad ſexti capitis verſum octavum incluſive, Noah autem invenit gratiam in oculis Domini. 4to incompact.

B. *Guilielmo Poſtello*, reſtitutionis omnium Anteſignano, interprete, auctoreque commentationes ſecretiores in Geneſin (notandum haberi hic tantum

in

in tria illius priora capita, tertiique capitis verſum 21. incluſive) et fecit Deus Adamo uxorique ejus tunicas ſeu veſtes, ex pellibus (paraſcias 20. reliqua deficiunt) et in omnia difficiliora Sacræ Scripturæ loca commentarii, ex libro, qui Hebræis Bereſſith rabba, hoc eſt, major in Geneſin interpretatio dicitur, converſi, collecti et extracti, familiarique Interpretis paraphraſi ſuis parentheſibus ſub Hebræorum textu diſtincta, exornati et declarati. Manuſcripti 4to. illigati.

E, *Guilielmus Poſtellus*, apoſtolica profeſſione Sacerdos, ex 72. Seniorum Moſis Spiritu donatorum doctrina, a Sancto Simeone Juſto primum publice expoſita collegit de æterno Chriſti in inferioribus Regno, et Sacro ejusdem Chriſti primatu, jam ab Adamo per Noachum, Abrahamum, Moſen, et Chriſtum ad nos uſque deducto. Ex Zoharis ſeu illuſtrationis ſcripturarum ſententia tam clara, ut Evangelii inſtar ſit.

F. *Guilielmi Poſtelli*, admirabilis Judæorum clauſorum, ſeu decem Tribuum Iſrael, ſub Turcarum et Iſmaelitarum potentia reductarum, hiſtoria atque adeo ipſa Iſraelitarum origo. MS. 4. illigatus.

G. *Guilielmi Poſtelli* commentarius in librum Ruth, in quo totius naturæ et gratiæ hiſtoria et eventus ita exponitur, ut quis

quis fuerit futurusve sit omnium nationum exitus, tam in Religioso quam in civili negotio clarissime cernatur, quæ omnia quum ab uno solo dependeant Christo, omnia suæ voluntatis nutu disponente, inque suam sensim habitationem suorum membrorum varia agitatione contendente, ideo generali nomine inscribitur: De ultimo Christi adventu et ultima nativitate. MS. 4to compact.

H. *Guilielmi Postelli*, Pandochæi regenerati, commentarius in Apocalypsin, pro venturi seculi statu Restitutis in integrum præparato. MS. crassior liber 4to.

I. *Guilielmi Postelli* in primogeniti mundi inferioris locum restituti resolutionum divinarum expositio, sive demonstrativa ex sacris veris ratione suppositis profetia, qua quid sit in Ecclesia Dei usque ad mundi finem futurum exponitur. MS. incompactus libellus.

K. *Guilielmi Postelli* libellus, de locali statu aut positione corporis Christi in Sacramento, et quod localiter adorari et recipi debeat. MS.

L. *An Guilielmi Postelli* (tractatulus manu ejus scriptus quidem est, sed suum nomen non adscripsit) de rebus Summopere admirandis, quæ annis proxime elapsis contigerunt in diversis orbis partibus, commentatiunculæ seu adnotationes,

ones, ut de illarum caufis cogitetur, confcriptæ. MS. 4to.

M. *Iacobi Fratris* Jefu Chrifti Evangelium, de admirabili nativitate et incunabulis virginis matris Mariæ, et ipfius Jefu, e Græco vetuftiffimo codice Conftantinopoli translatum in latinum fermonem MS. Græco-Latinum a Guilielmo Poftello, 4to. incompact.

N. *Guilielmi Poftelli* electus libellus in 8. minori manufcriptus charta incompactus, de fignis Judicii, et maxime de cadavere admirabili, ad quod aquilæ congregantur, ubi Judicii Dei Signum eft pofitum, et de cæteris temporis Judicii primi caufis.

O. *Guilielmi Poftelli* interpretis et affertoris liber, de Summopere confiderandis, et non minus admirandis myfteriis et veritatibus, quæ ex propriæ ipfius Chrifti, hoc eft maternæ linguæ, quæ Syriaca eft, verbis in Evangelio Syriaco confervatis eliciuntur, et ante omnia de cœnæ Domini verbis, et fenfu vero. Hunc librum toti Ecclefiæ Chriftianæ de illo judicaturæ tanquam fuæ fidei de cœna Domini obfidem offert. MS. folio, incompact.

P. *Guilielmi Poftelli*, de univerfitate, five de cosmographico auditu, difpunctiones, tam circa temporis cœlive, quam circa generalis loci orbisque habitabilis, ratio-

rationes, quinque libris expositæ, et in perfectissimæ Reipub. Suppetias, duce Ratione conductæ. MS. 4to.

Q. *Guilielmus Postellus* de primario Universitatis Jure a Germanica gente, potentiave illi divinitus concessa, una cum suis fratribus asserendo et restituendo; id est, de Romanorum Janigenarumve Regno revera, et non tantum nomine nudo suo legitimo principi vindicando et tradendo. 4to. et quædam in folio.

R. *Guilielmi Postelli* Spolium Ægyptiacum veris Israelitis addictum, Sive qua ratione Deus voluerit Ethnicos, aut adversantes sacris quoscunque Scriptores (nempe Ciceronem, Varronem, Solinum, Vergilium, Plutarchum, Platonem, Aristotelem, Dionysium Halicarnasseum, Talmud, Zohar, cur tam diu penes Judæos delituerit, cur tam diu viguerit Muhamedis in Alcorano deliramentum, cur Plinium in hanc diem servavit Deus, item Strabonem Cosmographum, Ptolomæi quadripartitum opus, Macrobium, Thargum Jonathan) ad hanc diem in sua Ecclesia superesse, et quanta utilitas Reipub. Christianæ inde oboriatur. Sola ex inimicis utilitatem capere novit Ecclesia vera: falsæ omnes impugnationem, nedum conflictum, timent. MS. 4to.

S. *Guilielmi Postelli* restituti tabulæ ipsius Scri-

Scriptoris, in ordinationis æternæ tabulam liber explicatorius, quo duce humana ratione, et auctoritate ſacra demonſtrabitur clariſſime, quænam rerum conſtitutio ſit in toto terrarum orbe ad finem usque mundi futura, et quisnam ſit futurus tam calamitoſi, uti nunc videtur, temporis exitus. In hoc MScripto libro perpulchro, quaternarii numeri vis et intellectus tam in rebus ſacris, quam naturalibus, luculentiſſime demonſtratur et docetur. 4to.

T. *Guilielmus Poſtellus* Apoſtolica profeſſione Sacerdos, et Reſtitutus emiſit, pacisque univerſi cauſa ſcripſit. De admirandis numerorum Platonicorum Secretis, et divina virtute intelligentiæ in illis abſconditæ, qua duce adultus, et Moſaica Chriſtianave diſciplina imbutus, uno aut altero anno facilius, in Encyclopædiæ, ſeu univerſi diſciplinarum orbis cognitionem devenias, quam totis viginti annis, uſitato ad hanc diem Scholarum curſu, indefeſſis pervenias ſudoribus. Ex priſcorum Platonis et Pythagoræ præceptorum, hoc eſt: ex Moſeos alumnorum ſcriptis, unde illi deſumpſerunt. MS. 4to. Compactus.

V. *Guilielmi Poſtelli* Retractationum liber, in ſua de reſtitutione omnium ſcripta inſtitutus. MS. A. 1560. ubi de Davidis Georgii Batavi Hæreſiarchæ erroribus, et exuſtione poſt mortem agitur, et de

Virgine

Virgine quadam Moniali Veneta, quam per errorem Postellus alteram quasi Mariam diu esse reputavit, utpote in quam Maria Deipara transfusa fuerit tota.

X. *Guilielmi Postelli* restituti, resolutæ et summæ veritatis excitationes naturales, in quibus corporis separabilis, hoc est, immortalis natura intra mortalem et sensibilem inclusa, ex Peripateticorum placitis clarissime ESSE, et debere cognosci HABEREque demonstratur. Appendix est pro declaratione ampliori ejus loci, quem ex secundo de generatione animalium libro declarandum suscepit, et anno salutis 1553. in lucem emisit. MS. 4to.

Ejusdem demonstratio, quod præcipua, et potissimum fundamentaria, ejus doctrinæ, quæ nomine Aristotelis circumfertur, placita, sint contra sensum et rationem, tam in mente, quam humanis et divinis literis expressam, sola auctoritate maxima mundi ingenia obcæcante introducta, summique mali, id est, perturbatæ hactenus in universo pacis causa. MS. 4to.

Ejusdem Aristotelicæ de separabili, sive immortali corpore humano, sententiæ expositio, et clarissima veritatis in ea contentæ demonstratio: qua patet, dari necessario corpus humanum personale et ex omnibus hominibus superstes indivi-

duum, et una cum sua forma victurum in æternum.

Hi tres libelli de variis erroribus Aristotelis agentes propter communem materiam in unam juncti sunt compacturam.

Y. *Guilielmus Postellus* de Tonitru summo, sive de summa divinæ potentiæ demonstratione, ex auctoritate, ratione, et sensu deducta. Quorsum vergat Victoriæ a Venetorum dominio, de Turcarum classe reportatæ facinus A. Domini 1571. ad B. Andreæ reliquias, et bustum Patrasium, aut Navipactium sinum. MS. 4to illig.

Z. *Guilielmi Postelli*, ad Sacrosanctam et unicam destinatione æterna, Christi sponsam mysticam, ut suæ unitatis perfectissimam originem ubivis gentium cognoscat et colat in Spiritu et virtute, sive in mente Eliæ, cohortatio. MS. 4to. incompact.

Aa. *Guil. Postelli* causæ, propter quas legati Pontificis Romani Pauli IV. in hoc instructi, et Senatus Veneti decreto, idem Postellus amens judicatus est, et ad universum concilium provocare coactus. MS. 4.

Bb. *Guili. Postelli* dispunctio, qua clarissime ostenditur, æternum seu NovissimumTestamentum ex suis Rationibus probatum. MS. 4to incompact.

Cc. *Guil. Postelli* de Correctione, emendationeve, aut restitutione potius Calendarii, opusculum, quo sine ulla perturbatione, et

et cum summa facilitate effectum completumque id redditur, quod jam a sexcentis annis et supra Ecclesia quæsivit ut debuit, et nunquam potuit efficere. MS. 4to. illig.

Dd. *Guil. Postelli* resolutio et decisio ratione demonstrativa terminata de substantia intellectus, et maxime quid sit Intellectus factus. Postrèmo autem quid sit corpus separabile, immortale, et his elementis divinius, quod Aristoteles dixit omni animæ adesse, et a corpore seminis esse separabile. MS. 4to. incompact.

Ee. *Hippolyti Thebani*, ex Chronici ipsius Conscriptione, genealogia sanctissimæ Deiparæ Mariæ. MS. 4to. (incompactæ tres paginæ manu Postelli) incompactus.

Ff. *Petro Anusio* Veneto, ex Syriaca Christi lingua interprete, sermo de Romanæ Cabalæ admirandis, et toti generi humano in universo orbe considerandis mysteriis. Ut summa fugiatur falsitas, et prima cognoscatur veritas, manu Guil. Postelli. MS. 4to. incompact.

Gg. *Petro Anusio* Veneto authore et observatore, de mundi mirabilibus, universitatisque consideratione, et expositione ad suas mensuras naturales redacta. 1566. Manu Postelli script. 4to. incompact.

Hh. *Guil. Postelli* de inhærente justificatione, resolutio æterna. MS. 8. incompact.

Ii. *Epiphanii Archiepiscopi* Cypri, in Dominicam sepulturam, sermo, Lelio Typhernate e Græca in Latinam linguam interprete. Sub finem desunt quædam. MS. 4to. incompact.

XCVI.

PETRUS FRIDERICUS ARPE.

Commentarium MARESCOTTI in Hiobum frustra adhuc quæro, interea dum Hermannus VON DER HARDT, monstrum eruditionis, in illo libro protrudit,

Quod non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

Adeo ipsum dissentiendi libido tenet, et inventa ipsius de diluviis S. Scripturæ, de Scytarum incursionibus vix interpretabitur RUDBECKII devotus assecla. Quum ante aliquot hebdomadas in Gazophylacio literario Guelferbyti Cl. Hertelium convenirem, et illustriss. Baro de Stain adesset, incesserat me fere cupido conveniendi hominem, ante viginti annos familiariter notum, sed temporis spatium

tium deerat, et graviora negotia revocarunt domum. Quo quum venissem, Hiobi in modum tristis supervenit nuntius,unus et idem alter partim de obitu Petri Nicolai SIBBERII, viri in rebus septentrionis versatissimi,partim de incendio tragico et incredibili Hafniensi, quo literarum thesauri interierunt nunquam recuperandi. In altero defleo amicum, cujus bibliotheca Codd. MStis locupletissima, jam suum experietur fatum; quod Th. Fritschii, quod Polycarpi Lyseri libris Lipsiæ et Helmstadii instat, de quibus sine dubio Catalogum accepisti. Ad alterius rogum, jucundissimam recordationem Reseniana, Brochmanni, Mulenii, Fuirenii aliarumque bibliothecarum repeto, quæ ut olim mihi in deliciis erant, jam nemini amplius ullo erunt usui. Præcipue doleo Illustr. Christiani WORMII, Episcopi Sialandiæ, vices, qui flammarum furore ædes, opes, bibliothecam et ipsum carissimum amisit filium.

Sic certam præsens vix habet hora fidem.

Non dissimili fato ante aliquot annos operum egregiorum interitum deplorabat M. R. TRELLUND, episcopus Wiburgensis, ne BARTHOLINI catalogo un-

quam desit supplementum his in oris, ubi plerumque Musæ frigent. Illustris Comitis DE DANNENSCIOLD librorum thesaurus ad alios transibit lares, simul ac Hafniæ ex tanta calamitate animum receperint. Quæ hic agantur, WOLFIUS non dubito significabit, qui vir optimus, quantus quantus ad literas incumbit, et fere cum detrimento sanitatis. Non alia est ratio FABRICII nostri, cujus indefessum studium reliquis exemplo esse poterit. *Den Hamburgischen Auszug von gelahrten Sachen* sine dubio vidisti. Icones magistratus suspenduntur eis, ut vino vendibili suspensa opus est hedera. Auctor ipsius quidam studiosus HAMAN, qui etiam nomine Matronæ plagulas quasdam in imitationem Patriotæ (sit venia verbo) sic dicti hactenus, sed non pari successu communicavit.

Quæ præterea scribam, vix habeo; horis, quas severioribus Musis eripio, libros ex Anglia allatos evolvo, BAXTERI Glossarium, SPENCERUM de Prodigiis, Thomæ BROUN opuscula, SCHAFFTSBURII characteres, et COLLINS, WHISTHONI, TOLANDI famosos commentarios, ea, qua decet, prudentia. Sub Jacobi Masse nomine latitare Simonem TISSOT, Professorem

Ma-

Mathes. Deventrienſem, te non fugiet. Libri illius impudentiſſimi, nec non epiſtolarum ipſius copia eſt. Sed quorſum? eſt modus in rebus, et ſic in epiſtolis. Hamburgi. d. VII. Decemb. MDCCXXVIII.

MEMMINGÆ, typis Jo. Valentini Mayeri.



